Guil Franc. [illegible] Mesemann.

De Episodiis Aristophaneis.

DE
EPISODIIS ARISTOPHANEIS

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA ACADEMIA FRIDERICA GUILELMA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE V. M. IULII A. MDCCCLXII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

SCRIPTOR
GUIL. FRANC. AEM. NESEMANN
SAXO BORUSSUS.

ADVERSABUNTUR
IOANNES BECKER, PHILOL. STUD.
GUIL. NEUMANN, PHILOL. STUD.
AEM. PFUNDHELLER, THEOL. STUD.
HERM. LANGNER, THEOL. STUD.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE.

Mirantibus fortasse, cur campum tam spinosum tamque invium ingressus sim, breviter volo commemorare, consilium huius materiae perquirendae ab Illustrissimo Viro Augusto Boeckhio datum esse. Quam enim vilia quam levia sint quae profero non ignorans congesta e manibus mittere omnino dubitarem, si non spes mihi esset fore ut pro auctoritate Praestantissimi Professoris, qui huius quaestionis benigne suasor fuit, proque molestiis, quibus argumentum redundat sane, bonam veniam a lectore impetrarem. Sed est praeterea aliud aliquid, quod legentibus — si qui legent — velim praefari. Quae enim de episodiis Aristophaneis hic edo in publicum, non sunt commentatio integra et absoluta, sunt potius de comoediae Aristophaneae tota scenica parte scriptionis particula. Continuo enim de prologi episodii exodi notione et natura egeram in illa dissertatione, quam Amplissimo Or-

dini Philosophorum nomen professus tradideram. Ex ea nunc, quum totam typis mandare nolim, dictam particulam elegi. Scio quidem, ex sua continuatione aliquid disiuncte segregare rem esse infelicissimam. Nam haec illa, si ita ex iusta compage divelluntur, facillime videntur parum praemeditata esse parumque cogitatione pertractata. Quodsi nihilo tamen minus prologo exodoque omissis hoc secretum de episodiis caput audeo proferre, id a lecturis impensius precor, ne ea, quae propter caussam supra expositam minus fortasse videbuntur praeparata et confecta, ultro reiiciant benevole memoria tenentes, hanc scriptionem scriptionis esse particulam.

DE

EPISODIIS ARISTOPHANEIS*).

Prologo videmus actionem praeparari et inchoari. Episodiis ita eam promoveri, ut eventus aliquis consequi possit, per se planum est. Sed sunt haec episodia, ut iam primitiva vocis notio[1]) indicat, non actionis partes per iustam et necessariam consequutionem alia aliam excipientes coeptoque tenore propagantes, sunt potius actionum farrago tam licenter tamque libere compositarum, ut omni caussae effectusque nativo nexu perrupto seriem tantum cogitationum, quae poëtae ob oculos versantur, exemplis videantur illustrare. Quamquam enim in unaquaque fabula aliquid certum agitur et actionis filum necessario cernitur: haec tamen actio

*) In nominandis locis Aristophaneis editione usus sum Bergkiana.

[1]) Vestigia eius servavit Suidas episodium sic definiens: *τὸ εἰς τὰ δράματα εἰσαγόμενον κατὰ προσθήκην καὶ αὔξησιν τοῦ δράματος.* Similiter Lex. Rhet. p. 253: *ἐπεισόδιον κυρίως μὲν τὸ ἐν κωμῳδίᾳ ἐπιφερόμενον τῷ δράματι γέλωτος χάριν ἔξω τῆς ὑποθέσεως.* cf. Bekk. Anecd. p. 353. 19: *ἐπεισόδιον τὸ εἰσφερόμενον τῷ δράματι γέλωτος χάριν, ἔξω δὲ ὑποθέσεως ὄν, καταχρηστικῶς τὸ ἐξαγώνιον ἅπαν πρᾶγμα.* Sed haec nihil ad nos, quamquam constat episodia eam ob caussam ita dicta esse, quod inter chori carmina intercalabantur, non vero dramati, quod augerent, addebantur. Vide praeterea Metagenem poëtam comicum apud Ath. X. p. 459. C: *Κατ' ἐπεισόδιον μεταβάλλω τὸν λόγον, ὡς ἂν | καιναῖσι παροψίσι καὶ πολλαῖς εὐωχήσω τὸ θέατρον.* cf. Bergk comm. c. Att. a. rell. p. 302. 303.

tam multis rebus iisque inexspectatis et improvisis involuta est, quin etiam in eas tam saepe prorsus dissolvitur et dilabitur, ut veram actionis viam ac rationem in Equitibus tantum agnoscere liceat. Quoniam autem iure meritoque in quovis artificio quaeritur unitas quaedam[2]) eo spectans, ut omnia, quamvis videantur laxa et diversa, certo alicui ordini rite subiungantur: in sua quamque comoediam episodia actionis gradus effingentia dividere res est difficillima. Nam si unicuique digressioni, quae terminatur nonnullis chori verbis, episodii concedis locum: quaevis comoedia in tantillas particulas divellitur, ut argumenti perpetuitas quaedam quamvis soluta omnino deleatur. Quamquam autem Aristophanes in fabulis conscribendis non unum semper consilium egit, sed ambitum potius cogitationum effinxit et anfractum: haec tamen cogitata, licet videantur inter se aliena, necesse est ordine quodam dispertiri. Alioquin deesset cohaerentia, quae est cuiuslibet artificii princeps nota. Sequentes igitur definitionem episodii Aristoteleam multis quidem iisque gravissimis adhuc vexamur molestiis, sed ex eo exemti sumus periculo, ne nimium statuamus episodiorum numerum. Atque ita Aristoteles A. P. c. 12: *ἐπεισόδιον μέρος ὅλον τραγῳδίας τὸ μεταξὺ ὅλων χορικῶν μελῶν.* Id quidem de tragoedia dictum est, de comoedia non item. Quomodo in eam cadant Stagiritae verba, videamus. Ac vocabulum

---

2) Mature enim in antiquo dramate, ut testatur Aristoteles, *λόγος* factus est protagonista i. e. locum primarium obtinuit. Ipse etiam Aristophanes in Pacis parabasi vss. 749. 750. ingenue gloriatur: *Ἐποίησε* (sc. *ὁ ποιητὴς*) *τέχνην μεγάλην ἡμῖν κἀπύργωσ᾽ οἰκοδομήσας* | *ἔπεσι μεγάλοις καὶ διανοίαις καὶ σκώμμασιν οὐκ ἀγοραίοις* sqq.

μελῶν apertius interpretatur anonymus scriptor Vit. Arist. § 16: *ἐπεισόδιον τὸ μεταξὺ δύο χορικῶν μελῶν*, postea prolata definitione exodi addens haecce: *χορικὸν τὸ τοῦ χοροῦ ᾀδόμενον μέλος*. Hanc nobis explicationem accipientibus ibi tantum possent episodia finiri, ubi chorica revera decantantur. Quae autem omnino chorica cantata sint, quae recitata, hodie non iam videtur posse ad liquidum perduci. Nam rarissime tantum res dicta patet. Ita in Ranis inde a vs. 875 usque ad vs. 884, ubi vs. 874 aperte dicitur: *ὑμεῖς δὲ ταῖς Μούσαις τι μέλος ὑπᾴσατε*. Pariter res sese habet in duobus illis Vesparum carminibus strophicis 868—873 = 885—890, quae cantata esse testatur ipse chorus vs. 885 nuntians: *ξυνευχόμεσθά σοι κἀπᾴδομεν*. Talia autem chorica episodium, cui non nisi ornamenti caussa inserta sint, nequaquam possunt terminare. Quae quum ita sint, anonymum illum grammaticum in carmine chorico definiendo praecipue tragoediam puto cogitasse. Quum igitur vox *μελῶν* habilem nobis ansam non ministret, vocabulum *ὅλων* videtur tentandum esse. Nescio an vera sit vocis huius interpretatio, quam inveni et arripui *ὅλα χορικὰ μέλη* eas esse chori dictiones iudicans, quae ex stropha atque antistropha compositae has iunctim teneant. Chorica enim stropham et antistropham una complectentia ibi fere tantum inveniuntur, ubi histrionum abscessio a scholiastis etiam plerumque annotata actionis iustam intermissionem indicat. Id quod cum ratione nostra actionis partes ita describendi, ut ea, quae videntur digressiones esse et deflexiones, iusta compage comprehensa certae continuationi iniungantur, bene congruit. Et vero actio apud Aristo-

phanem ita comparet exsultans atque huc illuc dilabens, ut necessaria argumenti perpetuitas non possit servari, nisi episodiorum numero aliquatenus restricto ea, quae nexu quodam naturali inter se cohaerent, rite colligantur. Alioquin prior pars definitionis Aristoteleae episodium *ὅλον μέρος* i. e. verum comoediae membrum esse ad actionem eius necessarium[3]) statuentis irrita foret et supervacua. Parabasi carminibusque epirrhematicis episodium per se finiri vix est quod addam. Si in Thesmoph. tria chorica (655 ff., 947 ff., 1136 ff.) nequaquam ad rationem strophicam composita pro episodiorum terminis habemus: ne inconstantiae incusemur non metuimus. Sunt enim carmina illa sine dubio graviora et ponderosiora quam quae ornamenti caussa episodio interiiciantur. Quodsi neque stropham habent neque antistropham, id eo videtur explicandum, quod chorus ingenti laetitia commotus alacrique indulgens saltationi in coeptum rhythmorum metrorumque ordinem redire, ut par est, omnino obliviscitur. Praeterea intercapedines actionis videntur manifestae. Sed hoc posthac videbimus. Restat igitur, ut de Pluto quaedam praemoneamus. Haec enim fabula sola choricis omnino caret[4]) (nam chorus ibi nil est nisi rudis agricolarum societas semel tantum vs. 639 carminis granditatem miserrime affectans) atque actionis intermissiones, quae etiam abscessu histrionum facile noscuntur, chori nomine ascripto (*ΧΟΡΟΥ*) significatae sunt. Videntur haec intervalla interludio musico expleta esse, sine

[3]) Sequor Godofredum Hermannum, qui ita fere interpretatur hanc vocem in explicanda definitione prologi ab Aristotele tradita.

[4]) cf. Platon. *περὶ διαφ. κωμ.* ap. Bergkium N. 1. § 7.

dubio praecipue per tibicines. Fuit enim tibia imprimis Bacchico gaudio consecrata. Placet addere, quae habet scriptor anonymus Vit. Arist. § 11: *πάλιν δὲ ἐκλελοιπότος καὶ τοῦ χορηγεῖν τὸν Πλοῦτον γράψας εἰς τὸ διαναπαύεσθαι τὰ σκηνικὰ πρόσωπα καὶ μετεσκευάσθαι ἐπιγράφει χοροῦ φθεγγόμενος ἐν ἐκείνοις, ἃ καὶ ὁρῶμεν τοὺς νέους οὕτως ἐπιγράφοντας ζήλῳ Ἀριστοφάνους.* Ubi *φθεγγόμενος* corruptum esse iam vidit Bergkius coniiciens: *καίπερ οὐ φθεγγομένου.* Iam vero in Eccles. illud *ΧΟΡΟΥ* bis legitur. Fabula quidem chorum habet, sed epiparodo facta abiit ille cum Praxagora in forum. Quod etiam in Nubibus invenitur semel illud *ΧΟΡΟΥ*, id ita fortasse enucleandum est, ut poëtam in comoedia retractanda lacunam illam chorico postea inserendo relictam, quum fabulam iterum docere destiterit, explere omnino censeamus omisisse. Quam opinionem etiam a Godofredo Hermanno video adiutam hisce praestantissimi viri verbis[5]): „Haec cantici omissio nescio an in iis rebus numerari debeat, quae secundam Nubium editionem non perfectam esse a poëta indicent." His etiam lacunis ut in Pluto ita in Eccl. et Nubb. episodiorum terminos significari infra videbimus. Quibus praemissis ad sua cuiusque fabulae episodia delineanda transeamus.

Exordiamur ab Equitibus, ubi tria tantum episodia statuimus (I. 278—497, II. 611—972, III. 997—1262). Totius episodii primi[6]) summa est gliscens rixa inter

[5]) Ita God. Herm. ad Nubb. vs. 888. ed. II. Lips. 1830.

[6]) Episodium primum ubi incipiat, potest dubium videri. Meo quidem iudicio vs. 277 ponendus est parodi finis. Ibi enim chorus suam ipsius cum Cleone altercationem praecidit. Quae subinde vs. 278

botularium et Cleonem, qui coram Demosthene et choro infesti inter se committuntur. Postquam rudia tantum convicia adhuc inter se iactantes Marte etiamtum paene ancipiti pugnarunt, rixam alio translaturi vs. 497 certatim se proripiunt in forum. Ita episodium per se finitur, praesertim quum sequatur parabasis eaque prior (498—610). Post hanc duo tantum episodia ponenda sunt, quorum summarium in eo consistit, quod Cleo inter parabasin iam apud magistratus victus nunc etiam coram Demo prorsus affligitur. Haec eius internecio subsequens per duo episodia usque ad parabasin alteram porrecta perficitur. Per episodium prius (611—672), quod praeparatur botularii ῥήσει ἀγγελικῇ (624—682), coarguendi modo atque exagitandi acerbitate superatur Cleo, ut paullatim a Demo destitutus vs. 959 annulum eius botulario coactus sit concedere. Paullo post Cleone et botulario, ut sua uterque oracula afferat, scenam linquentibus apte episodium finitur. Sequitur choricum una tenens stropham atque antistropham (973—984 = 985—996). Per alterum mortiferae stragis episodium (997—1262) etiam perspicuis factis contionator paene invictus profligatur. Nam non modo sunt vaticinia, quae secum facientia protulit, leviora quam botularii, sed etiam cibi, quos apposuit Demo, sunt viliores quam a botulario portati. Hae duae scenae (997—1110, 1151—1262), quamquam inde a vs. 1111 usque ad

vociferatur Cleo, non iam choro, sed botulario exprobrat. Praeterea vs. 277, ubi victoria botularii eum vi praedicitur, parodus terminatur satis nervose. Quae usque ad parabasin sequuntur chorica (303—313 = 382—390, 322—332 = 397—406) primo episodio intexta, a vera parodo tam sunt remota, ut huic non iam possint assignari.

vs. 1150 fit actionis intermissio, necessario videntur pro uno episodio habendae. Consilium enim ambarum in universum fere idem est. Deinde interiectus ille coryphaei et Demi sermo, quamquam ratione strophica comparet insignitus (1111—1130 = 1131—1150), non potest pro carmine chorico censeri, sed pro mero diverbio ideo interposito, ὡς ἂν μή, ut falso ait Platonius de consilio parabaseos, κενὸν ᾖ τὸ θέατρον καὶ ὁ δῆμος ἀργὸς καθέζηται. Absunt enim ad tempus botularius et Cleo, ut cupedias Demo afferant. Quae quum ita sint, inter priorem parabasin atque alteram duo tantum episodia statuimus. Nam per totum hoc spatium unum modo est choricum e stropha atque antistropha compositum. Ῥῆσιν illam ἀγγελικήν duobus choricis circumclusam (616—623 = 683—690), qua botularius victoriam suam apud iudices de Cleone reportatam choro renuntiat, Kockius episodii instar inde secrevit. Sed iniuria. Est enim choricum sequens sola antistropha. Strophae vero vel antistrophae, si sunt separatae, episodia terminare omnino non possunt. Quodsi posset ita fieri, nulla caussa esset, cur paucissima illa chori et botularii verba inde a vs. 611 usque ad vs. 615 non pro iusto episodio censeremus. Est quidem ῥῆσις illa, quam botularius recitat, prologi instar in alteram certationis partem coram Demo conficiendam transitus quidam, sed lenior ille quam qui ut episodium segregetur. Ita enim totam actionem videmus gradatim assurgentem, ut, quum episodium secundum grandius et actuosius intumescat primo, quod obscoena tantum iurgia continet, stragis tamen summa in episodium tertium conferatur. Quamquam enim, quod ad altercandi strenui-

tatem attinet, episodium tertium parodiarum licentia insignitum secundo inferius est, attamen rerum quas complectitur magnitudine supra secundum longe eminet. Quoniam autem episodium tertium e duabus partibus constet paribus fere, quae brevi quidem abscessione botularii et Cleonis conspicue divisae sunt, nihilo tamen minus pro singulis episodiis haberi nequaquam queunt: episodium secundum prologi quodam simulacro par est praeparatum esse, nec tamen hanc introductionis imaginem ut proprium episodium licet secernere. Totius autem structurae concentus, si tria episodia statuimus, ideo mihi optimus videtur, quod certatio illa grandissima, qui est actionis cardo, in episodio secundo posita tanquam medium totius partis scenicae obtinet, ut primum episodium et tertium sicuti prologus atque exodus iusta partitione ei sint circumdata. Et vero spectantibus nobis fabulae artificiosam simplicitatem haec dispositio episodiorum certe probabitur.

Est autem haec fabula sola actionem via ac ratione ita ad fastigium perducens, ut nil in ea sit inconcinnum aut alienum, immo quidvis gradatione aequabili urgens in eundem finem. Accedit, quod hic finis non est commenticius ideaeque, quae fabulae inhaeret, vile adminiculum. Est potius poëtae consilium ex ipsius reipublicae statu repetitum atque ita actione illustratum, ut vera huius et praesens perfectio consistens in vera eiectione illius, qui idem in fabula tandem eiicitur, utpote res confestim exsequenda compulerit poëtam ad comoediam componendam.

Aliquanto res est diversa in Thesmophoriazusis. Quamquam enim ibi quoque invenitur vera actio con-

stans in celebratissimo quodam aequali perstringendo atque item iusto tenore ad propositum finem aequabiliter decurrens: attamen haec actio non est ipsa res, quam ut revera peragendam spectantium animis Aristophanes inculcat (salvus enim postremo Euripides exit), est ea potius cogitationis ficticius lusus neque quidquam aliud exhibens ac sententiarum per exempla explicandarum firmamentum. Versatur enim actio minus in illo fine, ad quem excurrit pedetentim, quam in universa descriptione feminarum peculiari sexus virtute exutarum vafritiaeque Euripidis, qui quidvis divinum impie tentans argutiis suis antiquam castitatem everterit. Quamquam autem postea in exodo Euripides evadit incolumis, id tamen Thesmophoriazusarum fabula cum Equitibus habet commune, quod unumquodque episodium desinit in cladem nequitiae Euripideae perinde ac in unoquoque episodio Equitum Cleonem novimus affligi. Atque habet Thesm. fabula episodia quattuor partitione aequabili circa parabasin collocata. Duo enim praeeunt eam (I. 372—654, II. 689—784), totidem sequuntur (III. 846—946, IV. 1001—1135). Atque episodium primum sine dubio versatur in perstringenda corruptione feminarum, quae ad rationem sophistarum de Euripide deinceps perorantes quanta depravatione et foeditate commaculatae sint copiosius patefaciunt. Quamvis autem turpitudinis earum castigatio cumuletur oratione, qua Mnesilochus acerrime in eas invehitur: attamen episodium pro natura argumenti, quod ab Euripidis flagitio profectum sit[7]), in talem cavillationem non

[7]) Vid. prologum.

potest diffluere. Immo nefas ab Euripide commissum oportet revelari. Itaque tum demum, quum post fatalem nuntium extrinsecus illatum Mnesilochus convincitur criminis et Clisthenes ultionem minitans ad prytanes properat, episodium finitur. Sequens episodium secundum (689—784) eundem fere decursum exhibet. Perstricta enim lascivia feminarum vinolentiae deditarum in irrisionem desinit eiusdem Euripidis. Nam Mnesilochus frustra fugam meditatus auxilio evocat flagitii auctorem festive mutuatus rationem et verba ex illius Palamede. Deinde episodium tertium (846—946) ipsum nobis monstrat Euripidem dolose in Thesmophorium irrepentem, ut nequitiae ministrum per fraudem ex captivitate eximat. Sed omnes machinae, quas eum videmus comminisci, ad crimen diluendum nil proficiunt. Quum enim Mnesilochus a sagittario Scytha severius etiam custodiatur, Euripides re infecta inhoneste facessere cogitur. Tandem etiam per episodium quartum (1001—1135) eadem Euripidis artificia iterum videmus perimi. Rursus enim accepta clade inglorie abscedit.

In utraque igitur hac fabula (Eqq. et Thesm.) veris consiliis quamvis diversis actionem agnovimus unam et individuam, cuius persona primaria est vivus reipublicae morumque corruptor. Hic subiungamus Ranas, quae eo differunt a fabulis tractatis, quod non modo plura argumenta exhibent, sed etiam hanc argumentorum diversitatem per episodia diverse conformata aperte monstrant. Sunt quidem etiam in Thesmoph., si omittis structuram actionis, duo argumenta per parabasin aperte divisa. In primo enim episodio et secundo, ubi Euripides nondum prodit, agitur praecipue castigatio femi-

narum, quum in tertio episodio et quarto perstringatur solus Euripides mulieribus paullatim obmutescentibus. Quamquam autem per episodia priora Euripides nondum actioni interest, per Mnesilochum tamen repraesentatur ita, ut etiam priora episodia in eius cladem possint desinere. Contra Ranae in eundem versae Euripidem hunc impetum ita instituunt, ut descriptio saeculi ab illo depravati pro se prorsus secreta compareat. Fabula enim tota per parabasin in duas partes non quidem idea, attamen externa actione diversas dividitur. Quum enim prior contineat castigationem aequalium, qui exutis moribus maiorum heluentur neque quidquam sciant nisi petulanter et ignave gloriari: altera in damnatione Euripidis, qui priscam temperantiam et simplicitatem corruperit, atque una in Aeschyli laudibus consistit, qui innocentioris et sanctioris fuerit aetatis educator. Postquam igitur in prologo poëta huius alterius consilii non nisi praeteriens rationem habuit (prologus enim paene totus versatur in Atheniensium enervatis moribus castigandis), per episodium primum nil nisi consilium priori loco dictum exemplis studet illustrare. Haec exempla profert tribus scenis (460—533, 549—589, 605—673) libere inter se assertis, sed naturali argumentorum cognatione ita inter se conexis, ut in unum episodium a parodo usque ad parabasin porrectum (460—673) consociandae sint. Eo enim apte inter se cohaerent, quod Atheniensium iactantiam, ignaviam, astutiam, luxuriam prope pariter depingunt Dionysi persona, quem tanquam unum e multis esse sine ulla dubitatione constat. Tres illae scenae dividuntur duobus coryphaei cum histrionum agentium alterutro

sermonibus, quorum exemplum iam vidimus in Equitibus. Ibi etiam exposuimus, cur eos pro actionis quidem intermissionibus nec tamen pro episodiorum terminis censeamus. Ad caussas supra memoratas pro hac nostra fabula accedit, quod totius episodii primariae personae ante parabasin proscenium non relinquunt. Cum iis enim (primum cum Dionyso 534—548, deinde 590—604 cum Xanthia) strophicos illos sermones chorus confabulatur. Ad libidinem Kockius vs. 604 episodii finem posuit. Cur idem facere vs. 548 omiserit, non intelligo. Sed et aliter videtur erravisse. Si enim tres illae scenae per sententiarum communionem tam arcte copulatae in singula episodia omnino possent dissociari: non, ut Kockius fecit, vs. 604 episodii exitus statuendus esset, sed iam vs. 590, ubi coryphaeus dimetrorum illorum trochaicorum initium facit, ut dimetri illi et chori et Xanthiae tanquam in duorum episodiorum confinio siti essent, neutri vero ascriberentur. Sed sunt tres dictae scenae in unum episodium complectendae usque ad parabasin continuo extensum. Aptissime enim cumulantur versu 673, ubi Aeacus ingenuum Atheniensem eo usque videat effeminatum et corruptum, ut ipse eum a servo non iam dignoscens hoc negotium capaciori domino Plutoni constituat delegare. Post parabasin vero altera est eaque gravior comoediae pars, quae Euripidis Aeschylique certamen continens duobus choricis stropham atque antistropham iunctim tenentibus (814—817 = 818—821 = 822—825 = 826—829, 1099—1108 = 1109—1118) in tria episodia (I. 738—813, II. 830—1098, III. 1119—1481) dividitur. Cetera contra chorica (875—884, 895—904 = 992—1003, 1251—1260,

1370—1377) aut per se sunt separata aut solam stropham vel solam antistropham exhibent. Quare tria tantum inter parabasin et exodum episodia statuimus, quae propter rerum diversitatem tanquam sponte inter se discedunt. Quorum episodium primum (738—813) pro altera dicta comoediae parte est instar prologi. Nam certationem spectatoribus ob oculos ponendam iuste praeparat. Facit enim eos Aeacus certiores (v. 761 sqq.) de contentione, quae paullo ante inter Aeschylum et Euripidem orta sit. Praeterea quod tam saepe in prologis videmus (dico colloquia servorum), etiam hic dilucide agnoscimus. Xanthias enim et Aeacus fusius de servili sua sorte effutiunt, donec vs. 813 introeunt. Nec tamen hoc prologi simulacrum ineptiis plenum caret mucrone. Dicit enim Aeacus (vs. 806 sqq.) satis acerbe, neminem adhuc descendisse probum Atheniensem, qui pro sanctimonia morum Aeschylum, magistrum castitatis, Euripidi, astutiae doctori, ingenue praeferret. Duo deinde sequentia episodia monstrant nobis ipsum certamen poëtarum. Quod quamquam longam diversarum disceptationum seriem complectitur, attamen pro argumentorum condicione in duas naturales partes dilabitur. Quum enim per episodium secundum (830—1098) Aeschylus et Euripides de sententiis, quas uterque tragoediis suis expresserit, deque aetatibus, quas uterque poësi sua instituerit et conformaverit, concertent: in episodio tertio (1119—1481) externa tantum peccata in fabulis componendis commissa alter alteri exprobrat. Amborum autem summa est clades Euripidis. Singula chorica his duabus certationis partibus ornatus caussa interposita nil aliud volunt ac pugnatores in nova sem-

per ubi excurrant spatia deducere. Horum choricorum unum est, quod sine dubio canitur, cf. vs. 874. Sed est nec stropha neque antistropha, nedum strophae atque antistrophae compages, praeterea veram actionis incisionem praebet nullam. Quocirca illam trium post parabasin episodiorum dispositionem non dubitamus tenere, praesertim quum episodium secundum non modo duobus chori carminibus (895—904 = 992—1003) sed etiam concitatioribus dialogi metris luculenter insignitum inter cetera duo ita emineat, ut iam externa certationis species concentu eximio ornata sit. Aequabiliter enim certaminis aestus ex iambico trimetro in tetrametros et anapaesticos et iambicos assurgit rursusque cum pari aequabilitate ex tetrametris in sedatiores trimetros desidit. Revera episodium secundum exstat ut mons, cui cetera duo episodia vallium instar circumiecta sunt. Quodsi episodiorum totam compagem respicimus, duae quas posuimus eorum partes tali totius structurae congruentia sunt distinctae, ut prior (460—673), quamquam vilior est et brevior, tres particulas dictis coryphaei cum histrionum alterutro sermonibus divisas complectatur perinde ac alteram (738—1481) tria videmus membra continere. Prioris partis particulas (460—533, 549—589, 605—673) non, ut membra alterius, episodiorum locum obtinere nemo mirabitur. Quamquam enim fabula duo argumenta exhibet separata, eorum tamen summa vergit in damnationem Euripidis. Quare est, ut per se patet, altera comoediae pars tria iusta episodia complectens priori potior. Nihilo tamen minus etiam prior pars, quemadmodum altera, ad concentus quandam similitudinem comparet tripartita.

Transgrediamur ad Nubes et Vespas, ubi item duo inveniuntur argumenta, non quidem divulsa ut in Thesm. et Ranis, sed ita inter se artificiose implicita et colligata, ut in hac ipsa eorum copulatione perpetua constet actionis propria natura. Quum enim in Ranis internecio Euripidi paretur ita, ut universa descriptio saeculi per illum infecti ab aperta eius damnatione per Aeschylum consummata prorsus secreta sit: in Nubibus ac Vespis impetum sophistis rabulisque ita videmus inferri, ut incusatio horum veteratorum castigatione senum illa lue correptorum scite compareat involuta. Quum vero in Thesmoph. argumenta duo, quae agnovimus, tractentur ita, ut ab externae actionis consilio externo longe sint aliena: Nubium et Vesparum argumenta ita inter se sunt copulata, ut in hac ipsa eorum coagmentatione versetur actionis verus finis. Id quod in episodiis utriusque fabulae adumbrandis videbimus.

Ac Nubium episodii primi inde a parodo usque ad parabasin porrecti (314—509) summa in eo constat, quod Socrates de nubium potestate inflate hallucinans superstitionum tenebras a Strepsiadis animo conatur dispellere, donec stupidissimus senex occaecata mente ad quodvis flagitium paratus nequitiae magistrum in penetralia eius sequitur. Deinde in episodio secundo (627—888) Strepsiadem vetustiorem videmus et stultiorem, quam qui noviciam mentiendi captandique calliditatem ab illo traditam acumine mentis penetret. Propter suimet ingenii tarditatem, ut filii docilioris opera ex sophistica sollertia in utramque partem feliciter disceptandi fructum percipiat, Phidippidem

Socrati permittere secum constituit. Iniuria Kockius vs. 814, ubi Strepsiades ad filium arcessendum in suum aedificium regreditur, episodii novi initium posuit. Miror, cur idem facere vs. 866, ubi Strepsiades cum Phidippide redit ad Socratem, omiserit. Sed quod Strepsiades primo versatur apud Socratem, deinde suaemet domi apud Phidippidem, postremo cum filio rursus apud Socratem, quod igitur ultro citroque cursat ex altero domicilio in alterum, id episodii continuationem non potest turbare. Nunquam enim Strepsiades ex proscenio abit neque usquam ex conspectu nostro evanescit. Nam ita in utramque domum patet aditus, ut spectantium oculi semper Strepsiadem possint sequi. Praeterea dictarum scenarum (627—804, 814—865, 866—888) cohaerentiam in eo consistentem, quod senium noviciae rationi penitus penetrandae prorsus impar iuventuti capaciori turpissime cedit, non licet tam ultro perrumpere. Iam vero antistropha illa (805—813) non aliter ac stropha eius (700—706) ita cum episodii tenore nexa est, ut huius perpetuitas discerpi per eas non bene possit. Est enim stropha nil nisi exhortatio senis eo vergens, ut labores ille patienter ferat. Pari modo deinde antistropha impellit Socratem, ut discipuli stultitiam in suum usum sapienter vertat. Iustus igitur episodii orbis et ambitus tum demum conficitur, ubi filium Socrati Strepsiades committit. Antea episodium cacumen suum et fastigium non assequitur. Acerbe enim paeneque tragice cumulatur ita, ut senex socors, quum nullum aliud iam sciat miseriarum lenimentum, filium aliquanto habiliorem et versutiorem nequitiae magistro tradat. Est igitur episodii actio non

tam accusatio sophistarum, qui flagitia talia excitaverint, quam castigatio enervatae illius senectutis, quae non minus corrupta quam iuventus postremo ab ea miserrime superetur. Quod idem fere iam in episodio primo vidimus. Nam hoc etiam tum denique fabulae consilio convenienter terminatur, quum Strepsiades vs. 509 se suamque fortunam Socrati concredit. Tertium deinde episodium (889—1113) continet illam certationem rite celebratam, quam Iustus (*Δίκαιος Λόγος*) et Iniustus (*Ἄδικος Λόγος*) infesto vultu inter se committunt. Post rixam confectam Strepsiadem videmus denuo filium Socrati erudiendum dedere. Versu 1113, ubi histriones secedunt, episodium finiri per se planum est, praesertim quum coryphaeus loquatur alteram parabasin. Sed primum eius versum episodio vix finito adhuc assignandum esse et rhythmus docet et ratio argumenti. Est enim hic versus non ut epirrhema ex trochaeis, sed ut episodium ex iambis compositus. Nam ut est tota comoedia in tragoediae modum conformata, ita hoc tandem chori dicterio (*χωρεῖτε νῦν, οἶμαι δέ σοι ταῦτα μεταμελήσειν*) episodium exodo congruenter consulto praeacuitur. Perpetuitas eius per duo illa chorica, quae ad Iusti et Iniusti orationes patefaciunt transitum (949—958 = 1024—1033), nequaquam dirumpitur. Sequens episodium quartum (1131—1302) artem sophistarum ad tempus nobis monstrat victricem. Phidippides evadit perfectus philosophus et cum stupidissimo patre quae didicit large communicat. Strepsiades novum ratiocinandi genus vesana agilitate arripiens Pasiam et Amyniam, qui pecuniam mutuo datam repetunt, iocose pellit. Deinde per infelicem errorem, quo est etiamnunc

occaecatus, victoriam prae se ferens coenaturus abit ad filium praeceptorem. Quae sequuntur, sunt περιπετείας eamque ob caussam exodi. Finitur episodium chorico, quod infaustam rerum conversionem praeparans stropham atque antistropham iunctas (1303—1310 = 1311—1320) exhibet.

Pariter fere, quod ad argumentorum consociationem attinet, res est in Vespis. Quarum episodium primum (inde a parodo[8]) usque ad vs. 1008) obiter modo intuentibus nobis litigandi tantum et criminandi castigationibus videtur inservire. Nam Philocleo cum sodalibus heliastis non modo ut infans ridicule et inepte se gerit, sed etiam a Bdelycleone tam acerrime stupiditatis convincitur, ut φιλοδικία infamata, quum tales habeat propugnatores, melius non possit vellicari. Et vero illa canium lite, quae coram Philocleone geritur, cavillatio tota egregie cumulatur. Sed accuratius nobis spectantibus episodii decursum videbitur aliter. Ita enim amens heliasta insaniae suae coarguitur, ut cupiditate publice iudicandi valere iussa filio prudentiori duce novam rationem vivendi inire secum constituat. Omnis enim ei luxuria large promittitur. Sequitur postremo memorata

[8]) Ubi parodus finienda sit dubius haereo. Nam est admodum artificiosus a parodo ad episodium transitus. Quum enim carmen illud vs. 274 sqq., quod in scholiis stasimon appellatur, itemque subsequens inter coryphaeum et puerum scurrilis dialogus (291—303 = 304—316) sine dubio sint parodi: dubitatio nobis relinquitur, quonam exclamationes illae ineptae Philocleonis inde a vs. 317 exordientes ablegandae sint. Respondent eae quodammodo cantilenae, qua chorus eum excivit, nec tam ultro ab ea possunt divelli. Ac profecto videtur verus episodii tenor non ante vs. 336 incipere. Sed nullo modo accipio sententiam Iulii Richteri in praef. sua ad ed. Vespp. (in cap. III. de choro Vesparum) parodum usque ad vs. 487 extendentis.

canium caussa, quam disceptans stultissimus senex ab eodem filio iocose ita decipitur, ut fatali rabie prorsus eiurata ubique filium se velle sequi denuo declaret. Quum igitur baro vaecors lautissimo filio iterum se educandum saeculique moribus convenienter conformandum tradiderit, senectutis turpissima clade episodium mucronem nanciscitur. Histriones introeunt chorusque parat parabasin. Deinde per episodium sequens (1122—1265) eo turpitudinis priscam simplicitatem videmus degenerare, ut cum limata adolescentiae procacitate foede coalescat. Senex enim indutus vestitu iuvenili uberius, quomodo urbanus homo in circulis amabilitatis et elegantiae involucro impudentiam scite tegat, quomodo in scoliis decantandis alius alium salse venusteque excipiat, a filio instituitur. Ita eruditus cum filio magistro se confert tandem ad epulas. Sequitur carmen parabaticum. Deinde in episodio tertio (1292—1449) deformis illa senilium et iuvenilium morum nobis monstratur confusio, quae non potest evenire nisi temporibus debilitatis et fractis, ubi aetatum sexuumque termini contra naturae fas eversi sunt. Senex enim, quum intus libidinem effrenatam coeperit amare, exclamationes iactans impudicas rusticeque meretricem mulcens insequentes eos, quos morum importunitate identidem exacerbavit, tam superbe et tam contumeliose increpat, ut filius tutoris partes agens adversariorum manibus patrem abstrahere coactus sit. Quoniam igitur eo senectus conciderit, ut iuventuti aliquanto providiori debeat se committere: senectae strages perfecta est et absoluta. Quare episodia, quorum haec sententia fuit

summa, hic necessario subsistunt. Choricum sequens (1450—1461 = 1462—1473) stropham atque antistropham iunctas continet.

Sophistarum igitur et rabularum insectationem ita in Nubibus ac Vespis videmus institutam, ut cavillatio perditissimae senectae cum ea continuo iuncta sit. Ea enim inter duo utriusque fabulae argumenta ratio intercedit, ut alterum altero perpetuo nitatur. Quod idem etiam in ceteris fabulis, quas nunc tractaturi sumus, agnoscimus. Quoniam autem materia illae ab iis, quas modo percurrimus, discrepant manifeste, in seriem separatam eas segregare animum induximus. Quum enim Nubes et Vespae id cum Equitibus et Thesmophoriazusis et Ranis habent commune, quod pariter fere ac illae in certam aliquam pestem, quae reipublicae medullam arroserit, eiusque auctores infestis signis directae sunt: Acharnenses, Pax, Aves, Lysistrata, Ecclesiazusae, Plutus eo a dictis differunt, quod et generales totius infelicissimi reipublicae status notationes exhibent et inanium somniorum ad reficiendam civitatem generatim spectantium aedificium exaedificant ita ut illas fatuorum hallucinationes paullatim faciant collabi. Scio quidem, in omnibus fabulis Aristophaneis agi descriptiones generales. Notio enim *μύθου*, ut iam Aug. Meinekius (quaestt. scenn. 1. p. 26) et Theod. Bergkius (comm. de com. Att. ant. rell. p. 268) disseruerunt, ita apud Aristophanem patet, ut in unaquaque fabula effingatur totius reipublicae simulacrum universum. Nam in fabulis paene omnibus, quod in prologis circumspiciendis optime licet agnoscere, actio

ab aegritudine ex temporis calamitatibus oriunda ad restitutionem melioris condicionis proficiscitur[9]). Quoniam autem in fabulis adhuc tractatis descriptiones generales notationibus specialibus involvuntur atque irretiuntur, has fabulas separatim secrevimus. Contra in ceteris fabulis, quas nunc persequemur, notationes speciales descriptionibus generalibus ita praeponderantur, ut eas quoque in proprium ordinem necesse sit consociari. Quamquam enim certas invectiones, quales insunt fabulis supra memoratis, non aspernantur: praecipue tamen id agunt, ut describendo genere eorum, qui totam praesentem rerum foedissimam perturbationem detestantes faustioris temporis futuri incertam atque controversam sibi informent imaginem, omnes tales cogitationes monstrent praeposteras esse et perversas. In universae igitur praesentis rerum condicionis improbatione generali atque in exstructione ordinis rerum prorsus novi tandem propter insulsitatem item dilabentis versatur dictarum fabularum duplex argumentum. Quamvis enim, ne animorum laetitia raptius refrigeretur, molem illam somniorum sedulo usque ad

---

[9]) Quod ad Eqq. et Rann. attinet, id exodo per se patet. Vespae quidem discrepant aliquanto, nihilo tamen minus rerum conversionem monstrant nobis satis conspicuam. Vide exodum. Vide etiam *ἀρτόπωλιν* et *κατήγορον*, qui sunt homines eiusdem generis atque in Pac. *λογοποιός, θωρακοπώλης* cett., qui novum ordinem rerum improbantes expostulandi caussa interveniunt tandemque solita ratione depelluntur. Quod ad Nubb. attinet, satis est illa admonere, quae Strepsiadem ad consilia nequissima perducunt. Vide prologum. Vide etiam Pasiam et Amyniam, in quos idem cadit quod in *κατήγορον* et *ἀρτόπωλιν*. Quod Thesm. cum Eqq. comparavimus, id tantum propter clausulas episodiorum fecimus. Tam enim est fabula structura omnino singulari, ut alibi eam nesciamus collocare.

finem videantur sustentare, attamen dissimulanter eam in socordiam et libidinem placide faciunt liquefieri.

Ex his comoediis Acharnenses quidem et Pax primo obtutui pariter ac supra memoratae in certum nebulonum gregem videntur directae esse. Ambae enim, quum poscant pacem, necessario innumerabiles eorum, qui ad suam ipsorum avaritiam explendam de industria ducebant nefandum bellum, insectationes revera continent. Sed et ambae ita comparatae sunt, ut non solum illae singulorum hominum notationes in generalem praesentis confusionis improbationem transeant, sed etiam pacis, quae agitur, imago cum generali felicioris futuri temporis simulacro sensim coalescat. Et vero descriptiones generales omnino praevalere iam efficitur ex primariarum personarum nominibus, quippe quae non minus quam Euelpidis, Pithetaeri, Lysistratae, Praxagorae significationem habeant symbolicam.

Incipiamus ab Acharnensibus. Quorum episodium primum (241—625) ipsum quidem nobis monstrat Lamachum, turbulentissimum illum suasorem belli, qui choro succurrens Dicaeopolidem, patronum pacis et otii, importune increpat; sed simul exhibet orationem illam satis longam, qua Dicaeopolis minus ad chorum hostiliter agentem quam ad totam multitudinem spectantium conversus Atheniensibus in universum, quantopere consiliis perversis occaecati totam rempublicam funditus quassaverint, exprobrat. Quod deinde Dicaeopolis, ut pacis, quam iam in prologo cum hostibus ipse pro se pepigit, percipiat fructum, chori Lamachique ratione non iam habita proscenium linquens episodii facit finem,

id cum actionis filo est bene congruum. Nam proxime quidem vult Aristophanes fieri pacem intolerabilibus illis clamatoribus et contionatoribus non auditis. Episodia duo quae sequuntur (II. 719—835, III. 860—970) quum non modo argumentorum cognatione naturali sed etiam conformationis habitusque externi similitudine in medio episodiorum totiusque actionis scenicae collocata sint, totius comoediae structuram aequabilitate quadam et concentu egregie distinguunt. Eo enim pariter actio utriusque spectat, ut Dicaeopolis per commercium liberum, quod facta pace Megarensibus et Boeotis curavit nuntiandum, opibus suis exhaustis provideat tandemque eiectis sycophantis cum emta merce tranquille in domicilium suum se recipiat fructurus rebus per pacem comparatis. Expulsio delatorum documento est non tam pacem agi quam omnino talem rerum mutationem, ut animi revera possint respirare. Dividuntur episodia chorico strophas habente et antistrophas (836—841 = 842—847 = 848—853 = 854—859). Carmen, quo episodium tertium clauditur, sedatius quidem est et quietius quam quod, ut nonnulli voluerunt, vocetur parabasis: nihilo tamen minus eo tanquam parabasi (*συζυγίᾳ* [971—987 = 988—999] *φαντασίαν παρεχούσῃ ἐπιρρήματος* Schol.), ut episodiorum concentus iam supra indicatus aptior fiat et concinnior, episodium non dubitamus terminare. Iam vero in episodio quarto (1000—1142) Dicaeopolis partes agit perfecti heluonis. Quum enim in episodio primo, ne pro pace contionabundus aliter sentientium animos offendat, miserum flebilemque affectans habitum ab Euripide pannum petiverit: nunc in episodio quarto in

veterem illum agricolam, qui munerum pacis salutarium portionem quamvis parvam summisse ab eo flagitat, inexorabilis id tantum agit, ut ventrem impleat. Quoniam igitur duo episodia praeeuntia, ut contendimus, inter primum et quartum eminent tanquam collis: episodium quartum, quod ad sententiam attinet, episodio primo iuste respondere ex iis, quae disputavimus, videtur consequi. Augetur autem eorum concentus eo, quod Dicaeopolis, quem in episodio primo contra Lamachum fugam parare vidimus, in episodio quarto triumphum quendam de illo agit. Quum enim Lamachus contra Boeotos, qui in Atticam invaserunt, ad expeditionem invitus evocatus effundat querimonias detestans intempesti belli aerumnas: Dicaeopolis gaudio elatus secure domicilium petit cupediis confertum nil iam cogitans nisi iis se saturare. Sic videmus poëtam castigare totum aequalium genus pace non minus quam bello semet ipsum in dies terens. Assequutus enim Dicaeopolis quod voluit socordiam amat et libidinem. Aliquatenus id iam vidimus in priorum episodiorum clausulis. Finitur episodium postremum chorico habente rationem strophicam (1150—1161 = 1162—1173).

Altera fabula, quae similem fere decursum exhibet, est Pax. Duo tantum ibi invenio episodia (I. 337—728, II. 819—1126) parodo duabusque parabasibus circumscripta. Quorum prius liberationem deae iam pridem in tenebris sepultae Trygaeique cum ea conubium complectitur. Discedit autem in duas partes iam externa specie aperte discrepantes. Quum enim pars prior, in qua dea tam diu occulta ex tenebris eruitur, pro fervore actionis metrorum laeta varietate insignis sit

illisque Trygaei et chori strophis atque antistrophis in annotatione[10]) memoratis circumclusa aptum quendam paeneque rotundum monstret circuitum: pars altera, ubi Mercurius de deae nequissimis inimicis conqueritur, primo per tetrametros deinde per solitos trimetros usque ad parabasin sedatius profluit. Tota autem episodii actio apte finitur ita, ut Trygaeus, cuius iam nomine laetitia Bacchica exprimitur, libidinose amplectens otii deam descendat coelitus in terram sequentibus meretricium instar Theoria et Opora. Ita iam episodium primum quamvis totius clamatorum turbae insectationibus abundans in luxuriam desinit ex otio et desidia oriundam. Est enim Trygaeus quemadmodum Dicaeopolis non tam iustae pacis quam inertiae et socordiae amator. Deinde alterum episodium sequitur tam mancum tamque fractum, ut ex hac eius dissoluta natura agnoscere liceat, non tam verum ordinem pacis agi Trygaeo quam omnino vinculis liberatam cessationem et libidinem. Postquam enim retulit de itinere in coelum facto acerbissimis dicteriis libere admixtis, fusius versatur per longum tempus in Opora tanquam mere-

[10]) Duo chori carmina strophica sunt 346—360 = 582—600. Utrique praemittitur oratio Trygaei. Alteram Trygaei orationem (566—581) priori (337—345) aliquanto longiorem esse bene video. Attamen eo manifeste ambae inter se sunt similes paeneque pares, quod utraque rhythmo trochaico conscripta incipit a tetrametris paulloque post transit in dimetros, quibus sub finem unus admixtus est monometer. Quare ambae Trygaei orationes strophae atque antistrophae quodammodo praebent simulacrum. Quocirca finimus parodum vs. 336. Nam strophas et antistrophas in diversas comoediae partes divellere nolumus. Praeterea vs. 336 totius fabulae finis, qui in laetitiam effrenatam desinit, tam egregie tanquam acu praetangitur, ut significantior parodi terminus inveniri non possit.

trice tradenda choro itemque Theoria prytanibus, qui iam dudum desiderio veneris cruciati brachiis suspensis eam arripiunt. Spurcitia enim socordiae potissima alumna. Sequitur deinde eiectio Hieroclis parasiti, quam ex iusto episodii ambitu non licet secernere. Est enim ea ad Trygaei vanam fortunam rite cumulandam utique necessaria perinde ac in Acharn. ablegationes sycophantarum ad episodia vere explenda non sunt supervacuae. Quare tum denique, quum interventorem illum verberans Trygaeus abit ad coenam sacrificialem, episodium finitur. Epulae enim ardelioni cuiusvis negotii optatissimus finis. Quum igitur episodium prius cumuletur spurca libidine, alterum episodium quamvis laxe attamen aptissime in luxuriam diffluit. Voluit quidem pacem Aristophanes, sed insanabilem morum corruptionem, quae totam iam Graeciam infecerat, bene expertus damna ex inertia multitudini in dies hebescenti tam grata aliquando oriunda in hac comoedia quemadmodum in Ach. omittere non bene potuit. Quare in utraque fabula pacis imaginem effinxit non qualem ipse sibi animo informabat, sed qualis multitudini versabatur ob oculos.

Quum igitur his iam in fabulis certum actionis filum, quod in restitutione pacis cernitur, descriptionibus generalibus manifeste dissolvatur: tum in ceteris fabulis, quas nunc sumus tractaturi, tantopere eae praevalent, ut actio tota versetur in constituendo ordine rerum prorsus novo, qui omni cuiusvis verisimilitudinis fulcro carens cogitatione tantum concipitur. Exemplum praeter cetera memorabile sunt Aves, ubi Euelpides et Pithetaerus, qui in commenticium avium regnum confugerunt,

mundum omnino novicium aggrediuntur fabricari. Quodsi huius fabulae episodium primum (354—675) deliris somniis insigne tam languide desinit (nullo enim certo consilio[11]) capto introeunt Euelpides et Pithetaerus), id est fabulae argumento bene conveniens. Nil enim volunt Euelpides et Pithetaerus nisi a curis et laboribus vacui dulci desidiae indulgere. Placet notare, Euelpidem tum demum, quum Procnae subito aspectu impudice inflammatus stuprare eam concupiscit, in alacritatem quandam exardescere. In episodio secundo (801—1057), quod est inter priorem parabasin et alteram, ad inania sua peragenda revera transeunt. Saepiunt enim contra coelestium et mortalium incursiones munitionibus aërium regnum, urbi vix conditae imponunt nomen, novas religiones instituunt tandemque totam mutationem rerum sacrificio inaugurant. Sed fatidici, geometrae ceterorumque nebulonum interventio ad episodium apte conglobandum non est inutilis. Liquerunt enim patriam Euelpides et Pithetaerus non modo ut vanis gaudeant et inauditis, sed etiam ut a tota hac veteratorum turba sint remoti. Horum eiectio, quum sit novatoribus illis ad speratae fortunae concentum utique necessaria, ex episodii cohaerentia nullo modo potest secerni. Quare tum demum episodii orbis conficitur,

[11]) Quam enim ex improviso audacissimae eorum cogitationes mutentur in inertiam et torporem, monstrant coryphaei tetrametri vss. 637. 638. Nervosius enim cohortatur chorus Pithetaerum ad tertiam orationem coram avibus habendam. Sed Pithetaerus praeter opinionem non iam morigeratur. Itaque Pithetaeri orationum (462 — 538, 550 — 626) insolentia, quae tetrametris anapaesticis tam magnifice assurrexit, frustra collabitur. Sed sunt hae orationes quaestionis secretum caput, atque hoc loco satis sit obiter eas tetigisse.

quum pulsis illis parasitis Euelpides et Pithetaerus ad coenam sacrificialem introeunt. Post alteram parabasin sequitur episodium tertium (1118—1469) totam molitionem, cuius in episodio secundo fundamenta tantum iacta fuere, ita ad fastigium perductam exhibens, ut superbe ea iam in deorum provinciam immineat. Quam autem haec audax structura sit fragilis, non omittitur. Ultro enim perrumpens munimenta Iris irrita esse quae mortales temere capessant acerbe monstrat. Severa eius effata episodiorum seriem docent ad finem suum pervenisse. Nunc enim rem ad exitum, sive iocosus sit sive miser, oportet verti. Quoniam autem comoedia temerarium opus tam suaviter hucusque exaedificavit, ut per speciem quidem molitionem necessario debeat sustentare: non inconsulte instituit poëta, quod post Iridis secessum Cinesiam, parricidam, sycophantam, qui lucri caussa accelerarunt, verberibus facit abigi. Quum enim post austeram interventionem deae coeptis ludicris in eodem episodio locus non iam concessus sit, introductio illorum nebulonum ad episodium iuste complendum non est inutilis. Quae sequuntur sane sunt exodi. Episodium chorico stropham habente et antistropham (1470—1481 = 1482—1493) finiendum est, praesertim quum se recipiant[12]) Euelpides et Pithetaerus, sine dubio ut curent corpus, ut iam identidem in talibus abscessionibus vidimus.

Iam vero in Lysistrata agitur tota condicio rei-

[12]) Quum omnino episodiorum clausulae dignae sint, quarum ratio habeatur: tum huius episodii terminus verbis Pithetaeri (vs. 1469: *ἀπίωμεν ἡμεῖς ξυλλαβόντες τὰ πτερά*) ita cumulatur, ut totius argumenti natura melius non possit indicari.

publicae funditus novanda idque per feminas. Mares enim imbecilliores sunt quam qui patriae amplius possint consulere. Ut igitur in Ach., Pac., Avv. castigatio totius praesentis rerum perturbationis versatur in damnandis demagogis, sycophantis ceterisque parasitis: ita in Lysistrata hoc cavillationis genus consistit in ludificando toto virorum sexu, qui eo degeneraverit, ut imperium ei videatur extorquendum. Pax enim restituenda est tantum actionis superficies. Ut vero in Ach., Pac., Avv. novae rerum condicionis laudatores propter socordiam et libidinem, qua sunt infecti, non minus perstringuuntur: ita etiam in Lysistrata mulieres novum reipublicae ordinem repraesentantes propter impudicitiam dissolutam acerrime notantur. Sed transeamus ad episodia generatim adumbranda. Postquam igitur parodus in hemichoriorum certamine consistens clade virorum aqua superfusorum vs. 386 aptissime comparet cumulata: incipit episodium primum vs. 613 in eandem masculi generis irrisionem desinens (386—613). Probulus enim, qui ut duci possit fatale bellum thesauri publici advenit spoliator, a mulieribus Acropolin tenentibus contumeliose dimittitur. Quo facto Lysistrata victrix cum sociis in arcem regreditur. Sed post duas hemichoriorum strophas atque antistrophas (614—635 = 636—657, 658—681 = 682—705) episodium sequitur secundum (706—780), quod, quum praeteritum in virorum calamitosa clade constiterit, totum in impudicitia effrenata feminarum versatur depingenda. Cruciatae enim cupiditate veneri contra vota furtim satisfaciendi libidinose passim evagantur hic illic effugium quaerentes, donec invitae a Lysistrata coërcitae rursus in

Acropolin coguntur. Hemichoriorum strophas atque antistrophas (781—804 = 805—828, accuratius 781—797 = 805—821, 798 = 822, 799 = 823, 800 = 824, 801—804 = 825—828) episodium tertium (829—1013) sequitur habitans totum in eadem masculi generis ludificatione, qua episodium primum vidimus insignitum. Primum enim Cinesias avide venerem agitans, postquam ab uxore Myrrhina blanditiis se putavit honoratum, a mulieribus derisus pellitur. Deinde probulus antea iam insolitam ignominiam perpessus ita sexus sui cumulat servitutem, ut ob venerem a mulieribus constanter denegatam omnia quaecunque velint ignavissime remittat, dummodo concubitus delicias quam celerrime recuperet. Pace igitur concessa dimittens maturrime faustis ominibus praeconem Lacedaemoniorum inglorie abscedit. Quum igitur virorum imbecillitas enervata pervicaciae feminarum miserrime morem gesserit, in episodio quarto (1073—1187), quod est post universi chori ex hemichoriis consociati strophas atque antistrophas (1043—1058 = 1059—1072), cum Lacedaemoniorum legatis interim per praeconem arcessitis pax firmatur et stabilitur. Postremo Lysistrata tanquam poëtae partes agens acerrime admonet Lacedaemonios et Athenienses, ut religionum linguaeque communione perinde ac consanguinei coniuncti in aeternum concordiam sincere servent. Itaque quum facta sit pax et sepositus virorum principatus (iam enim mulier pro Atheniensibus loquitur), episodiorum series ad finem suum perducta est. Mares enim nil iam possunt nisi concubitum cogitare. Quin etiam, priusquam ad animorum reconciliationem epulis celebrandam introeunt,

quomodo quemque oporteat ibi se gerere, nervosius iis a Lysistrata praecipitur. Continuo, ut iam diximus, novicius rerum ordo inauguratur convivio et potatione. Posthac cum sua quisque uxore quod velit facito. Ergo etiam novi rerum ordinis luxuria est finis. Carmen, quo ultimum episodium clauditur, stropham atque antistropham exhibet (1188—1205 = 1206—1215).

Et sententiis et forma, ut iam in prologis comparandis perspicitur, non est dissimilis Ecclesiazusarum fabula pariter episodia quattuor (I. 311—477, II. 504—729, III. 730—876, IV. 877—1111) complectens. Hic etiam in episodio primo miserabilis enervatio virorum aperte ante oculos nobis ponitur. Dum enim feminae vestimentis virilibus amictae barbisque falsis exornatae iam mane de republica reficienda in contione deliberant, Blepyrus vestitu muliebri dedecoratus cacandi caussa aegre lecticulo relicto in vestibulum prorepit. Accedit vicinus quidam pari habitu. Comperiunt quid in contione peractum sit. Sed aequo animo ferunt talem rerum vicissitudinem, dummodo edere possint et bibere. Stupide tandem introeunt. Postquam deinde feminarum chorus epiparodum fecit (483—492 = 493—503), episodium sequitur secundum, cuius summa eadem fere est ac primi. Nam Praxagora Blepyro marito lascivis mendaciis decepto tam raptim omnia bene se habere persuadet, ut vaecors ille Atheniensis iam putet rite se gloriari, si coniugem respublicas administrantem possit deducere tanquam pedisequus. Praeit deinde Praxagora in forum Blepyro choroque auguste prosequentibus. Iam vero in episodio tertio, ubi prodeunt duo abiectissimi homines,

non modo socordia illa, quam in Blepyro iam agnovimus, notatur acerrime, sed etiam infamata illa nequitia quodvis publicum officium callide detrectans atque reipublicae impensis aliena arripiens. Apte vero episodium cumulatur, quum ambo illi perditissimi ardeliones, postquam quid faciendum per longum tempus dubii haeserunt, imperio feminarum obsequentes abeant tandem ad communes epulas. Ea enim iis est summa voluptas omne robur virile exhauriens. Quae res etiam documento est, dictam inveteratam vafritiam, quae ipsa quidem nil debiti praestans ex communi aerario iniuste semet studeat locupletare, in nova quoque republica mansuram esse. Iam vero episodium quartum quamquam primo obtutui item ac tertium merae exhilarationis caussa videtur agglutinatum esse, attamen ut praeteritum episodium inservit lineamentis argumenti rite conglobandis. Quum enim per iuvenem, qui virginis alicuius stuprum agitans tandemque a vetulis scortis violenter abstractus ne venerem quidem secundum ipsius voluntatem potest saturare, totius virilis sexus obsignetur miserrima clades: tum per meretrices tam sordide inter se aemulantes etiam novum reipublicae ordinem non minus ac abrogatum in foedam spurcitiam monstratur putrescere.

Restat sola P l u t i fabula, cuius summarium est divitiarum et opulentiae reditus. Episodia, quum initia et exitus eorum lacuna chori nomine expleta satis aperte significata sint, singillatim enumerare nolumus. Summa eorum omnino eo vergit, ut, quamquam damnatis cuiusvis generis nebulonibus opes cum bonis tantum probisque civibus placeat communicari, nequitia et impudi-

citia in hoc novo ordine rerum nihilo minus maneant. Cuius rei documentum est episodium postremum.

Quoniam igitur ita excepto Pluto singula singularum fabularum episodia adumbravimus, id impensius consequuti sumus, ut omnibus digressionibus omissis quemadmodum quodvis episodium in totius comoediae orbem quadret indicaremus. Tenuimus consulto definitionem Aristoteleam, episodium esse fabulae ὅλον μέρος i. e. partem ad argumentum eius necessariam. Quoniam autem exceptis Equitibus omnes fabulae plura argumenta exhibent ac plurimae in unoquoque episodio eorum permixtionem: etiam episodia necesse fuit ita delineari, ut in quolibet circumscribendo, quoad fieri posset, tota argumenti summa perspicue eluceret. Ut igitur in Equitibus, in Thesmophoriazusis, in Ranis, in Nubibus, in Vespis ibi tantum episodia finivimus, ubi eorum, quibus impetus paratur, clades aliquatenus est peracta: ita in altera quam posuimus comoediarum classe ibi semper episodiorum fines fecimus, ubi improbatione praesentium miseriarum vel irrisione dictorum somniorum vel utroque illusionis genere consociato iustum sententiarum ambitum quodammodo videmus terminatum. Tales autem actionis conclusiones ibi fere agnovimus, ubi choro loquuturo parabasin vel prolaturo carmen ex stropha atque antistropha constans actores proscenium relinquunt[13]). Tum denique actionis orbem

[13]) Quod in Rann. 1099, ubi episodium tertium clauditur, Aeschylus et Euripides non se recipiunt, id sane nemo mirabitur. Gravissimi enim certaminis dignitas male imminueretur, si respirationis caussa illi ad tempus abirent. Errat vero scholiasta vs. 1119 ponens coronidem εἰσιόντων τῶν ὑποκριτῶν. Aeschylum enim et Euripidem in scena

quendam completum esse perpetuo supra monstravimus vel certe, si propter difficultatem latina lingua omnia satis luculenter exprimendi non ubique consilio nostro satisfecimus, monstrare studuimus. Et vero has histrionum abscessiones ad sententiarum illum circuitum rite conficiendum non supervacuas esse praecipue in altera comoediarum serie est manifestum. Quum enim illic histriones, si abeunt, plerumque intendant edere, bibere, luxuriare: socordiae atque libidinis, in quam poëta omnes molitiones videt dissolvi, victoria satis nervose per abscessiones illas indicatur. Saepius autem (ut in Avv. et Pac.) in ipso proscenio praeparantur coenae, unde apertius etiam probatur eas ad argumenti integrum decursum haud ita esse inutiles[14]). Non vero approbo sententiam Theodori Bergkii[15]), qui, ut cives maximis rerum publicarum tempestatibus gravissimisque domesticarum calamitatibus fractos talibus deliciis consolarentur speque cuiusdam aevi Saturnici tandem aliquando redituri firmarent, comicos poëtas epulas illas et potationes in comoediis putat usurpavisse. Quamvis enim antiquitus cum quovis sacrificio epulae iunctae essent atque etiam in comoediis, quippe quae ad sacra Bacchica per-

---

manere eo efficitur, quod chorus stropham suam atque antistropham exhortationis caussa manifeste coram ad eos dirigit. Item in Thesmoph. Mnesilochum per totum episodiorum decursum in proscenio manere ex argumenti natura per se sequitur. Nam actionis nexus prorsus perruptus esset, si mulieres ex sacello eum dimitterent.

14) Plutarch. in Luc. vita c. 39: *Ἔστι δ᾽ οὖν τοῦ Λουκούλλου βίου καθάπερ ἀρχαίας κωμῳδίας, ἀναγνῶναι τὰ μὲν πρῶτα πολιτείαν καὶ στρατηγίας, τὰ δ᾽ ὕστερα πότον καὶ δεῖπνα καὶ μονονουχὶ κώμους καὶ λαμπάδας καὶ παιδιὰν ἅπασαν.*

15) Bergk comm. de com. Att. ant. rell. pag. 140. 141. 196.

tinerent, non bene possent desiderari: attamen Aristophanes, inexorabilis ille omnium vanarum de feliciori futura aetate cogitationum castigator, nullo modo consolationis caussa iis videtur usus esse. Quamquam enim, quum esset comoediarum scriptor, tale traditicium exhilarationis irritamentum non ultro potuit aspernari[16]): nihilo tamen minus tectum consilium, quo ductus plerumque eas adhibuit, fuit acerbius. Cuius sententiae praestantissimum documentum est in Lysistrata, ubi chorus feminarum, quum concordiam redintegratam communibus epulis animum induxerit celebrare, duobus carminibus (1043—1072 = 1188—1215) omnes Athenienses ad convivium invitans *παρ᾽ ὑπόνοιαν* bis ita orationem claudit, ut, si qui edere velint et bibere, quae ipsi laboriose sibi paraverint eorum fructum iubeat eos tranquille percipere. Haud ita aliter *ἀπροσδοκήτως* desinit Ecclesiazusarum exodus, quamquam ibi res dicta aliquanto cautius velatur.

Supra quidem, ut episodiorum conspectus facilior fieret, fabulas ad argumenta divisimus. Quodsi nunc eas circumspicimus omissa conformatione actionis: unicuique comoediae sententiam eandem fere inesse manifestum est. Quamvis enim, quod ad externum singularum consilium attinet, diversae sint: eo tamen aperte consentiunt, quod omnes pariter fere aetatis insanabilem corruptionem castigant. Haec est in universum omnium fabularum *ὑπόθεσις*. Hanc autem *ὑπόθεσιν* non per iustam actionis consequutionem explicari, sed

---

16) Nam etiam in Ranis certamine tam egregie peracto Aeschylus, priusquam ad Athenienses redit, a Plutone convivio excipitur, cf. vs. 1480.

potius per episodia tanquam per exempla[17]) illustrari in episodiis delineandis vidimus. Huc videtur pertinere, quod ait scriptor anonymus commentationis *περὶ κωμῳδίας* ap. Bergkium N. III. § 4: *οἱ μὲν οὖν τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας ποιηταὶ οὐχ ὑποθέσεως ἀληθοῦς, ἀλλὰ παιδείας εὐτραπέλου γινόμενοι ζηλωταὶ τοὺς ἀγῶνας ἐποίουν.* Ubi fortasse pro *παιδείας* scribendum est *παιδιᾶς,* quod cum apposito adiectivo mihi videtur melius concinere. Quod vero ad *ὑποθέσεως* commenticiam (vid. supra *οὐκ ἀληθοῦς* sqq.) naturam attinet, illa satis est admonere, quae Aug. Meinekius et Theod. Bergkius locis iam supra laudatis de notione *μύθου* copiosius disputaverunt. Argumenta enim comoediarum non, ut tragoediarum, in rebus traditiciis, sive sint profecto gestae sive pro gestis positae, gradatim effingendis, sed in rebus prorsus ficticiis[18]) pro fabulae cuiusque consilio consistunt libere coacervandis. Placet praeterea annotare quod habet Platonius *περὶ διαφ. κωμ.* (ap. Bergkium N. II. § 1) de Cratino: *Κρατῖνος εὔστοχος ὢν ἐν ταῖς ἐπι-*

---

17) Quoniam igitur singulum quodque episodium per se comprobationem ideae continet quae tota fabula adumbratur, haud temere apud Platonium singula episodia *δράματα* appellantur. Dicit Platonius *περὶ διαφ. χαρ.* ap. Bergkium N. II. § 3: *Εὔπολις δὲ εὐφάνταστος μὲν εἰς ὑπερβολήν ἐστι κατὰ τὰς ὑποθέσεις· τὰς γὰρ εἰσηγήσεις μεγάλας τῶν δραμάτων ποιεῖται καὶ ἥνπερ ἐν τῇ παραβάσει φαντασίαν κινοῦσιν οἱ λοιποί, ταύτην ἐκεῖνος ἐν τοῖς δράμασιν*, ubi aperte *τὰ δράματα* parabasi ita opponuntur, ut prologus, episodia, exodus hac voce complectenda sint.

18) Vide quae anonymus scr. *περὶ κωμ.* de Pherecrate, Cratetis imitatore, tradidit: *ἐζήλωκε Κράτητα καὶ τοῦ μὲν λοιδορεῖν ἀπέστη, πράγματα δὲ εἰσηγούμενος καινὰ ηὐδοκίμει γενόμενος εὑρετικὸς μύθων.*

βολαῖς τῶν δραμάτων καὶ διασκευαῖς εἶτα προϊὼν καὶ διασπῶν τὰς ὑποθέσεις οὐκ ἀκολούθως πληροῖ τὰ δράματα. Quae etiam in Aristophanem egregie cadunt. Ita enim Aristophanes omnium rerum cuiusvis generis est inventor, ut eae non spectent ad actionem rite conficiendam, sed, quod iam saepius diximus, ad ideam argumenti exemplis comprobandam. Maxime autem id est conspicuum in iis fabulis, quas alteri seriei assignavimus. Eae enim ad comoediae naturam peculiarem proxime accedunt. Vide, ut exemplum praestantissimum afferam, Ecclesiazusarum tertium episodium et quartum. Ibi homines prodeunt ad actionem quidem nequaquam necessarii (nam primas agentes tunc omnino non adsunt), attamen per utrumque episodium perorantes quid fabula velit orationibus suis monstrant.

Sed transeamus ad episodiorum structuram metricam. Ut in prologis, ita etiam in episodiis trimetrum iambicum omnino esse metrum primarium videtur praemittendum. Quoniam autem in episodiis actiones commotiores usuveniunt quam in prologis, saepius ex trimetro iambico in metra rhythmosque elatiorem fervorem effingentia transiri est consentaneum. Quod idem iam in finibus prologorum, ubi chorus actionis particeps paullatim appropinquat, nonnunquam videmus fieri. Sic, ut exemplum memorem, in Avibus longe ante parodum inde a vs. 268, ubi quattuor illae aves supervacuae (*ἐν περιττῷ ληφθεῖσαι,* ut ait scholiasta) in orchestram prodeunt, imminentem rixam tetrametris trochaicis gerendam iisdem tetrametris scimus praeparari. Hi deinde tetrametri per parodum usque in episodium primum pro-

ducuntur, donec avium excandescentia paullatim aliquando mitigatur, cf. vss. 383. 384. Quanta enim tetrametris trochaicis insit alacritas, praecipue noscitur ex Thesm. vss. 659 sqq., ubi chorus ex improviso usus tetrametris vividissimis semet ipsum ad saltationem solutam excitat. Quanta vero inhaereat tetrametris vis et gravitas, imprimis elucet ex Thesm. vss. 726. 727, ubi tetrametris nec praeeuntibus nec sequentibus feminarum chorus Mnesilochum illico esse cremandum ex inopinato tetrametris rapidissimis nervosius clamitat. Quoniam autem comoedia tota consistit in eventorum consociatione tam repente irruentium, ut saepissime urgeat actio actionem: iam Epicharmum praeter cetera tetrametrum trochaicum ita amavisse, ut metrum ab eo Epicharmium vocaretur, nemo mirabitur. Praeterea tetrametrum etiam anapaesticum apud eum multum valuisse ex Hephaestione discimus. Hoc enim teste (cf. Heph. p. 45) duas fabulas totas hoc metro composuit. Sed tetrametri, quum ad facetias illustrandas graviores sint et ponderosiores, per totam fabulam continuo deducti animum sane fatigant taedioque tandem obruunt. Quare postquam, ut ait Aristoteles Rhet. III. 1, *οἱ τὰς τραγῳδίας ποιοῦντες ἐκ τῶν τετραμέτρων εἰς τὸ ἰαμβεῖον μετέβησαν*, poëtae quoque comici fecere idem. *Τό τε μέτρον ἐκ τετραμέτρου ἰαμβεῖον ἐγένετο. Τὸ μὲν γὰρ πρῶτον τετραμέτρῳ ἐχρῶντο διὰ τὸ σατυρικὴν καὶ ὀρχηστικὴν εἶναι τὴν ποίησιν· λέξεως δὲ γενομένης αὐτὴ ἡ φύσις τὸ οἰκεῖον μέτρον εὗρε, μάλιστα γὰρ λεκτικὸν τῶν μέτρων τὸ ἰαμβεῖον ἐστι. Σημεῖον δὲ τοῦτο· πλεῖστα γὰρ ἰαμβεῖα λέγομεν ἐν τῇ διαλέκτῳ τῇ πρὸς ἀλλήλους.* Ita idem Aristoteles in A. P. c. 4. Accedit, quod eodem Aristotele teste *ἐν*

τῷ μέτρῳ τούτῳ (sc. τῷ ἰαμβείῳ) ἰάμβιζον ἀλλήλους. Quum igitur iambus comoediae metrum primarium fieret: tetrametrorum usum par est ad eas scenas restrictum esse, quae rixis et altercationibus praecipue inservirent. Praeter cetera episodium primum me dicere videtur planum. Ibi enim potissimum, praesertim quum chorus hostiliter incedit, acerba iurgia inveniri res est notissima. Memoravimus iam supra tetrametros trochaicos, quibus Avium chorus in Euelpidem et Pithetaerum irate invehitur, donec vss. 383. 384. inter se reconciliati in sedatius dimetrorum systema (387—399) descendunt. Etiam in Acharnensibus chorus cum Dicaeopolide, postquam phallicum ille cantavit carmen, confestim acerrime conflictatur tetrametris trochaicis inde a vs. 284 porrectis usque ad vs. 343[19]), ubi aliquatenus placatus lapides sub pallio occultos humum abiicit. Concitatissimi autem tetrametri sunt in Equitibus, ubi botularius a choro tetrametris modo trochaicis modo iambicis in Cleonem violenter immittitur. Tetrametri ibi leguntur trochaici inde a vs. 278—283, 314—321, 391—396, contra iambici inde a vs. 335—366, 409—440. Tales tetrametri *κατὰ στίχον* compositi plerumque finiuntur dimetrorum systemate, quorum ultimus solet esse catalecticus. Nonnunquam monometri admixti sunt, praesertim sub exitum. Horum systematum exempla sunt in eodem episodio inde a vs. 284—302, 367—383, 443—456. Quae systemata animorum affectioni bene conveniunt. Ubi enim aliquamdiu acriter certatum

---

19) Excepti sunt chori versus 285 = 336, 289—291 = 338—340, 295 = 342, 297—301 = 344—346. Vide de his versibus Roſsbachii librum: Metrik der gr. Dram. und Lyr. III. p. 546.

est: irae aestus, ut denuo capiat incrementa, paullisper necessario vult considere. Iam vero in Vespis, ut est tota fabula ad ludificandum puerilem heliastam nugis turgidissimis conferta, ita prima convicia, quibus senex iuvante choro effugium meditans atque filius aegre eum retinens alter alterum obruit, varietatem exhibent omnino singularem. Nam tum demum Philocleo, postquam duobus amplis amoebaeis, quae gravissimis tetrametris anapaesticis composita quemadmodum aliud contentionis genus paullo posthac explicandum duobus chori carminibus strophicis (341—345 = 373—378, 346. 347 = 379. 380) praeparantur, cum choro omnes fugiendi vias satis tumide pensitans subinde a filio deprensus est, solitis iurgiis cum hoc contendit. Geritur deinde haec rixa tetrametris trochaicis inde a vs. 415. usque ad vs. 525. Quod etiam in Thesm. haec convicia tetrametris non quidem trochaicis, immo iambicis composita (533—570) tam sero post parodum exardescunt, id item ex natura argumenti per se fluxit. Mulieribus enim post parodum ad tempus quiete confabulantibus Mnesilochus paullatim tantummodo, postquam et ipse tranquille longam orationem habuit, occasionem dat irate incurrendi.

In Lysistrata nulli histrionum conviciandi caussa tetrametri attributi sunt. Ibi enim convicia non sunt histrionum, sed hemichoriorum, quae quodammodo tuentia histrionum partes iam in parodo (inde a vs. 350 sqq.) mordacissimos tetrametros iambicos tanquam tela videmus inter se iacere. Probuli cum Lysistrata disputatio, quae est ibidem inde a vs. 486 sqq., huc non pertinet. Id enim est altioris certationis genus, de quo infra

sermo erit. In **Pace** dicta obiurgia omnino desunt eamque ob caussam etiam dicti tetrametri. Est enim ibi chorus eiusdem rei defensor ac Trygaeus persona primaria. Tetrametri, quibus inde a vs. 553 sqq. Trygaeus et chorus ad ingens opus denuo capessendum semet ipsos impellunt, huc non possunt referri nec magis, ut posthac videbimus, ii, qui sunt inde a vs. 601 sqq. Etiam in **Ecclesiazusis** episodium primum rixis omnino caret. Sed caussa manifesta. Chorus enim feminarum parodo facta ex orchestra ad tempus abiit. Choro autem absente convicia omnino non seruntur. Eorum enim est semper chorus auctor, quippe qui arctissime apud Aristophanem actione implicatus sit. In **Pluto** Blepsidemus, Chremylus et chorus colloquuntur solito trimetro. Nam sentiunt idem. De **Nubium** episodio primo infra tractabimus.

Sed tetrametrorum exempla, quae laudavimus supra, in rudibus tantum iurgiis consistunt depingendis, quae interveniente choro oriuntur subinde post parodum. His confectis alterum certationis genus solet sequi idque multo sublimius et magnificentius, ubi iidem tetrametri dignitatem longe speciosissimam obtinent. Eam nimirum dico comoediae partem, ubi adumbratio sententiarum generalium[20]) praeter cetera est manifesta. Illas enim cogitationes universas quas scimus Aristophanem fabulis suis exprimere, quum dramatica actione effingantur, veris iisque actuosis certationibus necesse est explicari. Tale vero generosioris contentionis genus impolitis illis atque inconditis conviciis peractis omnino

[20]) Aristot. A. P. 9: *ἡ μὲν γὰρ πόιησις μᾶλλον τὰ καθ' ὅλου, ἡ δ' ἱστορία τὰ καθ' ἕκαστον λέγει* sqq.

iam in priori vel certe in media fabulae parte collocari ex comoediae natura facile sequitur. Comoedia enim, quamquam innumerabiles perversitates et controversias, quibus tunc videmus rempublicam laborasse, exhibet, sub finem rite meritoque desinit in laetitiam Lenaeis congruam. Ergo iam aliquanto antea homines diversa sequentes dicta severitata inter se debent confligere. Hae personae quamquam in memorato certationis genere habitum suum peculiarem vereque proprium non prorsus exuunt, attamen hic potissimum sententias omnino generales typice solent ita repraesentare, ut duas aetates infeste inter se eluctantes symbolice effingant. Idque rite sic sese habere consilium reputantibus, quo ductus Aristophanes comoedias suas conscripserit, sine dubio elucebit. Ita enim ubique Aristophanem videmus actionem instituere, ut primordia eius in damnatione praesentium miseriarum sita sint (cf. imprimis prologos). Quam sententiam in nonnullis fabulis ita agnovimus promoveri, ut constituatur mundus omnino novus. Atque in iis praesenti rerum condicioni imago melioris futuri temporis opponitur eaque ita comparata, ut usitatis ineptiis aliquamdiu depositis sanctius exsplendescens virtutumque vel candidissimarum florem retegens aetatem revera faustiorem videatur exprimere. Mera enim inanitas dictorum somniorum in luxuriam et libidinem collabentium tum denique revelatur, quum quavis altercatione composita episodia incipiunt posteriora, ubi praecipue parodiis locus concessus est. Praeterea vero praesenti corruptioni, quae nova eaque inquinatiora temere capessat, verum etiam et genuinum Marathonium tempus opponitur tam severe, ut tale

certationis genus comoediae esse nobilissimam partem eiusque robur facile concedamus. Similem enim ea spirat granditatem ac parabaseos anapaesti. Ut autem hi pro auctoritate, quam ipse iis poëta tribuit (saepius enim exordiens eos nervosius auditores iubet *νοῦν προσέχειν ἀναπαίστοις*), commatio solent praeparari: ita ad illud etiam certamen, ut spectatores aures mature arrigant, chori carmine planatur transitus. Dictum choricum, quod est tetrametrorum quasi *προκήρυγμα*[21]), semper sequuntur duo eiusdem chori tetrametri eodem rythmo compositi[22]) ac sequentes histrionum tetrametri. Si ii igitur concertant tetrametris anapaesticis, etiam chorus ad disceptationem eos impellens iisdem utitur tetrametris anapaesticis. Si est certatio histrionum bipartita, chorica utramque disputationem praeparantia semper habent rationem strophicam[23]). Quum igitur in certamine bipartito chori stropha atque antistropha necessario inter se sint segregatae: totam talem altercationem, etiamsi in duas discedit partes, non in diversa posse episodia dirumpi liquet. Ut autem dicti tetrametri *κατὰ στίχον* compositi introducuntur car-

---

[21]) cf. Schol. ad Vespp. 1009: *κομμάτιον προκήρυγμα τῆς παραβάσεως*.

[22]) Ubique, ut admonet Aug. Rofsbach in artis metricae Graecae tom. III. pag. 89. annot. 5, priorem horum tetrametrorum incipit chorus ab *ἀλλ'* particula. Exceptus est solus, ut idem Rofsbachius memorat, Vespp. versus 648.

[23]) Ita Nubb. 949—958 = 1024—1033, Rann. 895—904 = 992—1003, Eqq. 756—760 = 836—840, Avv. 451—459 = 539—547, Lys. 476—483 = 541—548. In Vespis tantum (540—545, 644—647) non servata est ratio strophica.

mine chorico[24]), ita finiuntur iusto dimetrorum eiusdem rhythmi systemate admixtis hic illic monometris, praesertim sub exitum.

Certationes bipartitae eaeque ita comparatae, ut virtutis defensor tetrametris loquatur anapaesticis, nequitiae patronus iambicis, leguntur in Nubibus et Ranis. Hic τὰ ἤθη, quae hisce rhythmis iam ab antiquis assignantur, significantissime expressa sunt. Exordiamur a Nubibus. Ibi enim disceptantium natura symbolica apertissime patet. Quod attinet ad inventionem harum figurarum typicarum, Godofredus Hermannus[25]) ideo, quod Aristophanes neque ipsum Socratem malum esse nec turpia suadere adolescentibus sciret, poëtam putat finxisse non ipsum istos mores commendantem, quorum exemplum propositurus esset in Phidippide, immo consulto eum dedisse hoc negotium uni illorum oratorum, quorum alter iusta atque honesta, alter iniusta ac turpia defenderet. Sed non audeo assentiri. Quum enim Aristophanes Socratem ut sophistarum principem[26]) in scenam inducere omnino non dubitaverit: si in actionem ita quadravisset, omnia illa, quae tribuit Iniusto, in eundem Socratem conferre sine dubio non gravatus esset. Sed fabula tota ita in tragoediae modum conformata est, ut Strepsiades per suam ipsius culpam artis sophisticae cassibus circum-

---

[24]) In Pluto tantum deest solitum carmen. Nam duobus modo tetrametris anapaesticis (487. 488) cohortatur chorus Chremylum et Paupertatem, ut manum conserant.

[25]) God. Herm. in alterius Nubb. ed. praefatione pag. 41.

[26]) Vide exodum. Vide Vespp. parabasin inde a vs. 1036.

veniatur. Nemine enim auctore, ut ex paupere dives fiat, fatalem viam ingreditur. Ut vero culpa eius rite cumuletur: quonam praeceps iturus sit denuo ei necesse est ob oculos proponi. Ambae igitur viae, quarum optio etiamnunc ei pateat, prorsus ei debent revelari. Quod ita tantum fieri potest, ut duae effigies universae vitae morumque et antiquiorum et noviciorum animo eius evolvantur. Quoniam autem neque ipse, quippe qui noviciam rationem amplexus sit vel quidem coeperit amplecti, nec Phidippides antiquum tempus potuit repraesentare, Aristophanes id negotium oratori Iustae Caussae demandavit. Hoc autem invento adversarius contraria tuens per se datus fuit. Ita Iustum (*Δίκαιον Λόγον*) et Iniustum (*Ἄδικον Λόγον*) poëta inter se opposuit ita, ut Iustus (961—1023) defenderet antiquam innocentiam et castitatem, Iniustus (1045—1104) recentiorem vafritiam et futilitatem. Ut autem anapaesti, quum sint proprie *ἐμβατήριον μέτρον*, bene conveniunt generoso illi ardori, quo Iustus animose effervescens strenuitatem Marathoniam laudibus effert: ita iambi, quibus Iniustus utitur, cum mordaci et proterva illius natura apte concinunt. Est enim in Graeca lingua iambus ad effingendam procacitatem imprimis habilis. Ut igitur Iustum tetrametris anapaesticis prorumpentem quemadmodum Marathonomacham virtute virili fretum ingenue discrimini obviam ire agnoscimus: ita *τὸν ἰαμβίζοντα* Iniustum tanquam insidiantem (*τὸν πάλαι πνιγόμενον* vs. 1045) videmus quodammodo ex tenebris in praedam suam prosilire. Subsequens Iusti clades bonam rem eius non perimit. Iniustus enim per

speciem tantum interim victor est, donec exodus fert rerum conversionem[27]).

In Ranis Aeschylus (1006—1098) tetrametris anapaesticis idem defendit quod Iustus, quum Iniusti caussam tetrametris iambicis (907—991) tueatur Euripides. Aeschylus enim, sanctus ille bellator Marathonius, torrentis instar cum spuma strepituque aestuantis indomite atque invicte invehitur in Euripidem, qui argutiarum et improbitatis praeco antiquam castitatem, decorem patrum, suarum fabularum peste infecerit. Audimus paene in Aeschyli anapaestis Marathonium armorum sonitum, quum Euripidis iambi ut sophistae alicuius ratiocinia ad aures accidant. Aeschylus, ut scimus, revera vincit. Quare, ut par est, loquitur post Euripidem perinde atque Iniustus, qui per speciem

---

[27]) Dignum videtur memoratu, hanc exodum praeter consuetudinem item acerrima altercatione exornatam esse. Quae insolentia nimirum fluxit ex singulari natura argumenti. Quum enim Iustus Iniusto interim cesserit et Strepsiades Phidippidis opera de Amynia Pasiaque improbe victoriam reportaverit, Iusto necesse est honorem restitui. Quod optime ita fit, ut quonam perniciei Iniusti doctrina tandem aliquando asseclas ducat copiosius exponatur. Quare Strepsiades a filio, quem ipse opera dedita ad praecepta Iniusti curaverit educandum, non modo verberibus insaniae suae fructum percipit, sed etiam dicta altercatione in exodo inusitata sophistice docetur iure id factum esse. Certatio est bimembris atque ambae eius partes (1353—1390, 1399—1452) praeparantur solitis chori carminibus strophicis itemque desinunt in solitum dimetrorum systema. Tetrametri pro natura argumenti, quod versatur in ipsa arte sophistica quam uterque sequutus est varia fortuna, sunt utrimque iambici. Etiam hic duas aetates signis infestis inter se adversari facile noscitur. Ad refutationis irrisionem salse condiendam aptissimo loco vs. 1415. non temere tetrametris interpositus est unus trimeter.

tantum superior discedit, posteriori loco disserit[28]). Qui enim perorandi iure fruitur, is solet palmam accipere.

Item certatio bimembris, cuius pars prior (763—835), anapaestis altera (843—940) iambis est composita, invenitur etiam in Equitibus. Ibi quoque duae aetates comparent infeste inter se proeliantes. Quamquam enim botularius minime aspirat ad generosioris aetatis Aeschyleae granditatem (nam per ipsam nequitiam Cleonem vincit): attamen, quum sit Cleonis adversarius, virtutis se praestat propugnatorem. Quivis enim poëtae est bonus civis, dummodo Cleonem oderit. Quamvis igitur botularius sit perditus et abiectus, Cleoni instans melioris temporis est antesignanus. Ita enim acerbe eum convincit flagitiorum, ut maligni accusatoris paene obliti interdum putemus ipsum poëtam ad populum verba facere. Certatio quidem, ut iam diximus, est bimembris. Neque tamen hae partes in Nubium et Ranarum modum conformatae sunt. Si enim ita factum esset, in altera parte iambis composita primas Cleo ageret. Sed non ita. In utraque enim parte, quamquam initium utriusque Cleo facit, botularius evadit victor eamque ob caussam idem utriusque exitum loquitur. In utraque parte principatum penes botularium esse colligi etiam potest ex duabus exhortationibus choricis (761. 762, 841. 842), quae ad eum tantum directae sunt. Rhythmorum vero diversitas fortasse inde est derivanda, quod prioris partis anapaesti ardori, quo certamen

28) Is in iurgiis etiam, quibus antea alter alterum lacessit, ius perorationis obtinet. Iurgia quae dico sunt longum anapaestorum et dimetrorum et monometrorum systema inde a vs. 948. Vide hoc de systemate Rofsbachii artis metricae tom. 3. p. 110.

suscipitur, contra iambi vafritiae, quae primo fervore aliquatenus sedato ambobus redit, melius respondent.

Item duas separatas partes, sed pariter iisdem anapaestis compositas habent certamina, quae sunt in Vespis et in Lysistrata. Hic quoque duae aetates inter se cominus conflictantur. Ac primum videamus de Lysistrata. Quum enim ibi inde a vs. 486—538 et porro inde a vs. 551—607 probulus, qui thesauro publico advenit potiturus, eorum partes repraesentet, qui, ut perturbatae reipublicae opes callide in suum usum possint convertere, nequissime bellum flagitant: Lysistrata mulier quamvis procax et petulans, quum eum refellens et refutans sit pacis patrona, tutatur caussam civium bonorum, qui bellum eiusque aerumnas detestati rerum mutatione opus esse cum dolore intelligunt. Et vero masculi sexus tantopere effeminati et corrupti castigatrix pro ipso quasi poëta verba faciens non modo simpliciter perorat, sed etiam probulum aqua superfusum acerbe ablegat. Probulus ad dicendum per senum hemichorium impellitur, Lysistrata per mulierum.

Iam vero in Vespis (548—630, 650—724) Bdelycleo quamquam partes agit iuventutis impietati luxuriaeque deditae, attamen senii haud minus depravati eamque ob caussam poena aliquanto dignioris cavillator quodammodo virtutis abolitae causidicus est. Coarguens enim patrem stupiditatis non modo totum genus heliastarum, qui a demagogis ridicule decepti ignavissime iis morigerentur, castigat, sed etiam eorum gregem, qui plebe blanditiis corrupta ad suam ipsorum voluntatem abusi rempublicam in tot tantasque calamitates

perduxerint, acerbissime notat. Bdelycleonem quasi pro poëta loqui testantur vss. 650. 651: *χαλεπὸν μὲν καὶ δεινῆς γνώμης καὶ μείζονος ἢ 'πὶ τρυγῳδοῖς | ἰάσασθαι νόσον ἀρχαίαν ἐν τῇ πόλει ἐντετοκυῖαν.* Ut per se planum est, senex heliasta fortunam suam commenticiam priori loco praedicat, quum Bdelycleo quae sibi videantur postea explicet. Sic enim refutatio spectantium animis firmius inhaeret.

Singulari condicione res est in Avibus. Ibi enim duae[29]) inveniuntur longae orationes anapaesticae (462—538, 550—626) eaeque, quum rixa iam vs. 386 composita sit, ab omni certamine alienae. Pithetaerus paene solus uno tenore loquitur ceteris plerumque placide aures praebentibus. Interdum tantum hanc illam interrogationem inutilem interponit Euelpides. Nihilo tamen minus hae duae orationes Pithetaeri huc referendae sunt, praesertim quum ambae solito more choricis praeparentur strophicis. Rem ita puto expediendam. In Euelpide depingitur socordia illa et ignavia, quae vitae molestias infaustis illis temporibus satis adauctas non iam ferens aliud idque dulcius requirit, dummodo ducem inveniat. Effingitur in eo inertia multitudinis, quae male pessumdata quidvis accipit quodcunque contionatores temere promittunt. Contra Pithetaerus, ut est ingenio mobili et ad inania prono, imaginem eorum nobis praebet, qui fundamenta reipublicae eversa esse bene sentientes de civitate reficienda inepte somniant. Euelpides igitur praesentem

[29]) Oratio tertia, quamquam coryphaeus vss. 637. 638. ad eam impellit Pithetaerum, Terei interventu omnino praeciditur priusquam inchoata est.

aetatem exhibet labantem et corruentem, contra Pithetaerus tempus nondum naturae gremio conceptum eamque ob caussam praeposterum et perversum. Sic non quidem generales sententiae inter se pugnantes, attamen duae aetates, altera praesens altera nondum orta, in Euelpide et Pithetaero nobis monstrantur. Ut per se patet, utramque orationem incipit et finit Pithetaerus.

In Ecclesiazusis et in Pluto certamen unam tantummodo partem continet. Metrum sunt tetrametri iidem anapaestici.

Atque in Ecclesiazusis (583—709) Praxagora Lysistratae haud dissimilis praesentem rerum publicarum confusionem acerrime percensens audaci oratione adumbrat lineamenta aetatis, quam fatui sine dubio animo sibi informabant, quum Blepyrus partes multitudinis in dies marcescentis agat miserrimas. Sed non solum duo saecula et praesens et futurum inter se sunt opposita, quin etiam duo sexus, quorum alter naturam alterius foede induit. Praxagoram vero partim certe pro poëta loqui aperte dicunt verba eius, quibus castigationis initium facit: *καὶ μὴν ὅτι μὲν χρηστὰ διδάξω πιστεύω* sqq. Ut ex fabulae argumento per se sequitur, Praxagora ius obtinet eamque ob caussam perorationis honore a poëta afficitur. Sola enim cumulat disceptationem longo systemate dimetrorum et monometrorum stupidissimo marito non iam audente ne verbum quidem interloqui.

In Pluto (489—618) Paupertas contra Chremylum et Blepsidemum, qui dulcis desidiae exsistunt laudatores atque etiam de iusta divisione bonorum garriunt, idem tutatur ac Iustus in Nubibus. Poscit enim satis

severe, ut, si quis velit quieti indulgere, antea is patienter labores ferat. Paupertatis personam revera ficticiam esse per se patet. Est enim ea ad actionem conficiendam omnino supervacua. Sed est totius comoediae summa non actio, immo sententiarum generalium contentio actione illustranda. Quare si typicae figurae diversa sequentes non per ipsam fabulam datae sunt, audacter eas invenire poëta non dubitat. Sic in hac nostra Pluti fabula. Quod vero Paupertas tam sanae rei adiutrix postremo ablegatur, cum fabulae decursu apte concinit. Inertia enim et libido postremo victoriam reportant.

Dictum autem certationis genus totius comoediae partis scenicae umbilicum esse et quasi montem, cui cetera omnia circumiecta sunt tanquam convalles, quivis vim eius et fervorem sentiens concedet. Consilio non ita discrepat a parabasi, plerumque etiam iuxta eam est positum et, si omnino deest parabasis ut in Eccl. et Plut., splendore suo peculiari[30]) eam quodammodo compensat. Iunctum cum ea revera lacertos et nervos comoediae uniuscuiusque continet. Quamobrem non facile potest desiderari. Quamquam autem in Pac., in Thesm., in Acharn. iusta eius forma non invenitur, attamen hic quoque vestigia eius conemur indagare.

Quod igitur ad Pacem attinet, agnoscimus ea in trochaicis illis tetrametris, qui ibi leguntur inde a vs. 603 usque ad vs. 650. Praeparantur ii solito chori carmine,

[30]) Tetrametrum anapaesticum non minus ab his certationibus, quippe ubi manifeste primas agat, quam a parabasi metrum Aristophaneum dictum esse videtur credibile.

finiuntur usitato dimetrorum systemate. Altercatio quidem iis inest nulla (Trygaeus enim nil facit nisi stupide interrogare); attamen quae fatur ibi Mercurius ab iis sententiis, quas in dictis certationibus solemus invenire, non sunt aliena. Rogatus enim Mercurius, ubi dea tam diu exulaverit, indignantem eam sycophantas et demagogos, qui fatale bellum nequissime duxerint, secessisse in solitudinem longo sermone queritur: ter eam, inquit, ad concordiam Graecorum redintegrandam benigne Athenas advenisse, totiens eam esse importune pulsam: saepius eam quaesivisse, quinam homines praesint reipublicae, sed nil bonum se ei potuisse nuntiare. Haec mihi legenti identidem in mentem venit Philocteta Sophocleus, qui interrogans Neoptolemum, quinam bellatores olim Troiam profecti adhuc in vivis sint, Thersitam eiusque similes comperit Achilli Aiacique superstites. Eodem fere cum dolore Aristophanes videtur generosiorem aetatem maeste respicere. Huic eius aegritudini manifestae sedatus tenor trochaeorum bene convenit.

Difficillima res est in Thesmoph. Legitur quidem ibi inde a vs. 532 usque ad vs. 570 acerbissima altercatio tetrametris iambicis composita, sed continet ea minus sententias iam saepius significatas quam sola iurgia et convicia. Accedit, quod non clauditur solito dimetrorum systemate. Quare dictorum tetrametrorum iam in priori altercationis genere mentionem fecimus. Quodsi eos hic denuo memoramus, id ideo facimus, quod choricum carmen duoque deinde chori tetrametri iidem iambici rixam praeeunt, quamquam hi duo chori tetrametri non revera altercationem praeparant, sed

potius casu et fortuito videntur patefacere transitum. Caussa, cur sententiarum generalium contentio omnino desit, ex singulari fabulae conformatione videtur repetenda. Tam enim admirabili modo actio externa exaedificatur, ut paene omnia ludicro actionis rite conficiendo videantur inservire, non descriptionibus generalibus per exempla adumbrandis.

Etiam in Acharuensibus dicta certatio frustra quaeritur. Sed compensatur aliquatenus longa oratione (496—556), qua Dicaeopolis ad audientes versus omnes iis acerrime exprobrat perversitates, quibus rempublicam iam satis superque labefactatam in tot tantasque calamitates detruserint. Forsitan has suas sententias contra Lamachum potuerit comprobare solito more cum eo manum conserens. Quum autem ipse Callistratus, qui suo nomine (*τρυγῳδίαν ποιῶν* vs. 499) hanc fabulam Aristophaneam docuit, Dicaeopolidis protagonistae ageret partes, vehementius eum certe credidit Aristophanes Atheniensium animos commoturum esse, si oratione perpetua eaque gravissima quae vellet explicaret perinde ac coryphaeus parabasi pro poëta ad populum verba faciens[31]). Dictae vero orationi, quamquam ea solitis trimetris conscripta est, non minorem auctoritatem tribuendam esse quam certationi tetrametricae identidem memoratae inde quoque colligi potest, quod Callistratus, ne contionabundus populi neu rursus Cleonis, ut antea in docenda Babyloniorum fabula, experiatur iras, tanquam ad spectantium animos mulcendos pannosam vestem ab Euripide verbosius mutuatur. Ita enim per

---

[31]) Ipse Callistratus exordiens: *Τὸ γὰρ δίκαιον οἶδε καὶ τρυγῳδία· | ἐγὼ δὲ λέξω δεινὰ μέν, δίκαια δέ.*

speciem ludens facilius potuit Athenienses castigare. *Οἱ γὰρ κωμῳδιοδιδάσκαλοι δεδιότες τὸν δῆμον ὡς δεσπότην ἐθώπευον ἠρέμα δάκνοντες καὶ μετὰ γέλωτος, ὥσπερ αἱ τίτθαι τοῖς παιδίοις, ὅταν δέῃ τι τῶν ἀηδεστέρων πιεῖν αὐτά, προσφέρουσι μέλιτι χρίσασαι τὴν κύλικα.* Dio Chrysost. or. 33. 9.

Quodsi complectimur quae de tetrametrorum et trochaicorum et anapaesticorum et iambicorum usu disseruimus: vim eorum et indolem duplicem esse videtur in concessis. Prius enim tetrametrorum genus et trochaicorum et iambicorum, quod est in episodio primo subinde post parodum, conviciis tantum et iurgiis inservit, quae oriuntur interveniente choro. Alterum genus plerumque anapaesticorum et iambicorum, quum sententiis generalibus explicandis duabusque imprimis aetatibus comparandis compareat destinatum, a dictis conviciis aliquantum est remotum propiusque parabasi collocatum. Eo autem ambo tetrametrorum genera aperte consentiunt, quod personae tantum primariae hoc metro gravissimo altercantur. In episodiis posterioribus, ubi omnis generis homines prodeunt et dicenda tacenda loquuti evanescunt, tetrametrum non potuisse absumi per se liquet. Quum enim tricae, ubi tetrametrorum usus aptissimus est, maturius in comoedia soleant solvi: in posterioribus episodiis, quippe quae in libidinem et laetitiam plerumque desinant, praeter cetera parodiae locus datus est.

Duae tantum sunt fabulae, ubi iam in episodio primo inveniuntur tetrametri iique anapaestici manifeste parodiae inservientes. Atque in Nubibus iam prologo exeunte inde a vs. 263 Socrates tetrametris anapaesticis

tumide implorans ficticias deas, ut coelitus descendant in terram, usque ad vs. 456 perpetua anapaestorum serie Strepsiadem de nubium potentia certiorem facit. Sed caussa, cur hoc iam loco parodiam poëta admiserit, in tota actionis structura videtur posita. Omnem enim acerbitatem eamque paene tragicam sitam videmus in exodo. Alterum exemplum, ubi parodia iam in episodio primo locum primarium obtinet, exstat in Vespis (348—364, 381—402). Sed res insolita hic ideo potest ferri, quod fabula tota versatur in festive carpendo illo heliasta puerili. Vide totum episodium primum senis chorique ineptias tam insipidas tamque insulsas continens, ut parodiam iam metrorum dissoluta varietate indicatam eius potissimum esse consilium sine dubio concedas. Ut vero anapaestorum inflatissimorum parodica vis plena fiat et perfecta: duae illae anapaestorum series (348—364, 381—402) duobus introducuntur choricis strophicis (342—345 = 373—378, 346. 347 = 379. 380) quemadmodum gravissimas illas certationes tetrametricas talibus choricis vidimus praeparari. Quod altera anapaestorum compages non terminatur solito dimetrorum systemate, id sedulo lusus caussa factum est. Tam enim praeter opinionem stupidus heliasta fugam parans intercipitur, ut dictum systema rite conficiendi tempus ei non iam relictum sit.

Haec sunt exempla manifestae parodiae in episodii primi tetrametris positae. Omittimus Vesparum episodii primi systemata anapaestica minora eodem modo parodiae caussa adhibita. Satis est repetere, in Nubibus ac Vespis dictam insolentiam ex argumenti natura ortam

esse. In universum enim sunt posteriora episodia, ubi quaevis certatio confecta est, parodiarum usitatissimus campus. Sic in Thesmoph. inde a vs. 776 usque ad vs. 784 Mnesilochus ad auxilium vocans Euripidem anapaestorum systema effundit ex illius Palamede iocülariter mutatum. Postea idem inde a vs. 1065 partes agens Andromedae Euripideae tam flebilem anapaestorum monodiam recitat, ut parodiae consilium pateat. Vult enim Mnesilochus, id quod Euripides partes Echûs administrans ei persuasit (cf. vs. 1062), mollibus querimoniis mulieres et sagittarium ad misericordiam flectere. Parodia vero augetur, quum Euripides, qui personam Echûs imitatur, non modo Mnesilochi querentis, sed etiam barbari custodis querentem indecore interpellantis ultima quaeque verba ita excipiat, ut haec ineptiarum farrago inde a vs. 1065 usque ad vs. 1097 in iustum systema coalescat. Accedit quod barbarus agresti sua dialecto loquitur. Iam vero vide illa anapaestica systemata, quae sunt in Lysistrata inde a vs. 954 usque ad vs. 979, ubi Cinesias ab uxore Myrrhina cum irrisione pulsus ridiculaeque indulgens desperationi, quousque tandem a venere se abstinere per fati iniquitatem sibi destinetur, prolixius clamitat. Ita eum stomachose querentem miseratur caterva senum, quum hemichorium feminarum eum pergat illudere. Plura etiam exempla exstant anapaestorum talium ad querimonias iocosas vel turgidas preces in dictis episodiis adhibitorum. Sed quia non singillatim de metris Aristophaneis disserere animum induximus (nostrum enim consilium alio spectat), haec omittamus deque alio

metro ad parodiam non minus habili[32]) pauca memoremus. Dico hexametrum, cuius sanctissimus splendor, quo Homeri diebus effulserat, per innumerabiles illos fatidicos lucri caussa ubique oracula suppositicia prae se ferentes Aristophanis aetate iam fuit exstinctus. Quum igitur tragoedia, ut par est, oracula, si qua eorum fit mentio, verecunde trimetro iambico iniungat: comoedia, quae ad nostratium locutionem amet tollere illusionem, non sola oracula proprio ac peculiari eorum refert metro, sed etiam haruspices, popas, fatidicos in vili diverbio abuti facit hoc grandissimo tamque olim magnifico Pythiae versu. Posteriora episodia hic me dicere vix est quod moneam. Dua dictae rei exstant apud Aristophanem exempla, alterum in Equitibus, alterum in Pace. In Equitibus quum primum episodium et secundum acerbiora sint quam quae iocationibus relinquant locum: episodium tertium, quamquam ibi Cleonis internecio conficitur, festivissimis parodiis videmus insignitum. Actionis enim gradatio usque ad finem continuo augescens, quam supra in huius fabulae episodiis adumbrandis laudavimus, non consistit in conviciorum acerbitate usque ad exitum aequabiliter acuenda, sed in tota certatione ita dirigenda, ut Cleo conviciis et criminationibus iam primo victus postremo etiam ficticiis testimoniis divinitus datis profligetur. Quum igitur rudia illa iurgia iam confestim sequantur parodum atque altioris certationis genus sit cardo episodii secundi: episodium tertium, ubi uterque affert commenticia sua oracula, pro natura comoediae iocosius

---

32) cf. Bernhardy litt. Graec. II. 2. pag. 479 sqq. ed. II.

decurrit. Itaque botularius et Cleo, qui inde a vs. 1039 de oraculorum cum utroque facientium pondere disceptant, non solum simulata illa vaticinia renuntiant hexametris, sed etiam ultra disputantes omisso trimetro iambico speciosissimum servant versum heroicum (vs. 1051—1060, 1069, 1080—1095), ut poëtam Cleonis inflatam gloriationem et iactantiam imitatione voluisse perstringere planum sit. Alterum quod nominavimus exemplum est in Pace, ubi inde a vs. 1063 sacerdos parasitus impudentiam suam augustissimo hexametri involucro obtegens in Trygaei amicitiam se studet insinuare. Parodia fit manifesta, quum Trygaeus, quotiescunque respondet vel orationem eius interpellat, idem semper metrum iocose excipiat, donec eum vs. 1114 sine ambagibus dimittit. Tale aliquid in huius fabulae episodio priori nondum posse cogitari per se liquet. Quamquam enim episodium prius laeta metrorum alacritate exornatum libidine e pace oriunda mucronem suum assequitur, attamen res in eo gestae graviores sunt quam quae talibus ludicris concedant locum.

Restant vero innumerabilia lyrica metra, quae item in episodiis posterioribus passim leguntur. Sic in Avibus ordine novo iuste constituto adveniunt lucri caussa noti nebulones, qui, ut admirationem sui concitantes faeilius quod volunt assequantur, perditissimae poëseos lyricae ampullas iactant. Vide pravum illum poëtam, qui irrepens mendicandi caussa inde a vs. 904 hymnicas ridicule prae se fert cantilenas. Vide parricidam, qui ibidem prodit inde a vs. 1351 pronuntians insulsum threnum. Vide ibidem Cinesiam, poëtam illum dithyrambicum infamatum, inde a vs. 1372 facientem

idem. Vide ibidem sycophantam, qui inde a vs. 1410 centonibus dithyrambicis orationem inchoat. Qui omnes mihi videntur etiam flebiliter cantavisse. De Cinesia id aperte testatur Pithetaerus vs. 1382 eum increpans: *παῦσαι μελῳδῶν· ἀλλ' ὅτι λέγεις εἰπέ μοι.* Quod attinet ad sycophantam, is iam appropinquans vs. 1414 *μινυρίζειν* dicitur. Iam vero vide Ecclesiazusarum episodium quartum, ubi prodeunt meretrices, quae, ut iuvenem accelerantem altera alteri praeripiat, invicem cantant[33]) carmina impudica (893—923). Tibiam non defuisse ab ipso poëta dicitur vs. 890: *σὺ δὲ, | φιλοττάριον αὐλητά, τοὺς αὐλοὺς λαβὼν | ἄξιον ἐμοῦ καὶ σοῦ προσαύλησον μέλος.* Praeterea vide Ranas, ubi in episodio postremo Aeschylus et Euripides ita pergunt certare, ut alter alterius tragoedias perstringens ex eius carminibus choricis varios locos festive recitet. Quae parodiae in hac altera huius comoediae parte praeter naturam utique severa ideo possunt ferri, quod notissimum grandius certationis genus iam in episodio praeeunte confectum est atque hoc nostrum episodium parodiis peractis pro consilio fabulae satis severe desinit. Parodiae haud dissimiles inveniuntur in altera Thesmophoriazusarum parte post parabasin posita, ubi Euripides et Mnesilochus longas lyricas querelas, imprimis monodias, ex fabulis Euripideis festive imitantur. In priori fabulae parte ante parabasin collocata non quidem omnino desunt parodiae, sed rixis

---

[33]) Hasce cantilenas revera episodice lusus caussa insertas esse testatur virgo hisce verbis nuntians se cantaturam esse vs. 888: *κεἰ γὰρ δι' ὄχλου τοῦτ' ἐστὶ τοῖς θεωμένοις, | ὅμως ἔχει τερπνόν τι καὶ κωμῳδικόν.*

utique praeponderantur. Dictarum parodiarum metra enumerare a nostro consilio est alienum. Non enim de Aristophanis arte metrica disserere nobis proposuimus. Tam vero abundat vetus comoedia carminibus, quae cantantur *ἀπὸ σκηνῆς* vel recitantur, ut, in quanam episodiorum parte ea potissimum soleant adhiberi, satis sit in universum indicasse. Vide etiam Nubium episodium postremum, ubi inde a vs. 1154 non modo cantat Strepsiades vocans Phidippidem, sed etiam sine dubio Socrates, qui inde a vs. 1165 eius clamores excipit. Parodia ibi quoque manifesta. Quod vero in Acharnensibus Dicaeopolis iam in episodio primo confestim post parodum, priusquam cum choro conflictatur, sacrificium parans cantat cantionem phallicam, ea mihi insolentia ab omni parodia utique aliena cum consilio poëtae videtur bene conveniens. Ut enim eum Aristophanes sub episodii finem Lamacho choroque valere iussis, ut pace fruatur, consulto facit tranquille abscedere: ita iam vs. 241 choro impetum parante eum inducit quiete incedentem Bacchumque, alumnum pacis, laete praedicantem. Sic initium episodii non modo eiusdem episodii sed etiam prologi fini aptissime congruit. Sed, ut hanc sententiam primariam repetamus, in universum priorem partem actionis praecipue rixas et altercationes et certationes constat continere eamque ob caussam duplici gravissimorum tetrametrorum genere elucere, quum altera episodiorum pars pro Musae comicae natura in festivitates transiens parodiis metrisque ad eas accommodatis soleat ornata esse. Omnino autem comoedia ut scenarum magnifica copia affluit, ita metrorum ubertate singulari distincta est. Ac pro-

fecto ita est ἡ πολυμετρία ἐν τῇ κωμῳδίᾳ τὸ σπουδαζόμενον, ut saepissime, cur singulum quodque metrum positum sit, non videatur posse dici. Sane enim est in metrorum delectu licentia comoediae summa lex. Quamvis autem episodia rapida metrorum mutatione distincta sint, attamen in universum in trimetrum iambicum quietius redeunt. Non est servata haec regula in Thesm. ep. II. et in Rann. ep. III., sed opera dedita, ut videtur, ideo, ut systemate anapaestico Euripidis clades fiat acerbior.

Gestus in comoedia Graeca pro mira exsultantia eius dissolutiores fuisse et effrenatiores per se est credibile. Gloriatur quidem Aristophanes in Nubium parabasi vs. 540, nunquam se instituisse saltationes petulantia infames. Sed exstant in fabulis eius vestigia cordacis satis speciosa. Vide, ut exempla afferam, Thesm. 655 sqq. 953 sqq. Pac. 320 sqq. Vespp. 1516 sqq. Hac quidem sunt choricae saltationes. Sed etiam a meris episodiis cordax sine dubio non prorsus fuit alienus. Cogito praeter cetera rixas tetrametris trochaicis conscriptas. Metrum enim trochaicum ad saltationem imprimis habile esse Aristoteles testatur Rhet. III, 8: ὁ δὲ τροχαῖος κορδακικώτερος· δηλοῖ δὲ τὰ τετράμετρα· ἔστι γὰρ τροχερὸς ῥυθμὸς τὰ τετράμετρα. Atque idem Aristoteles in A. P. c. 24: τὸ δὲ ἰαμβικὸν καὶ τετράμετρον κινητικά· τὸ μὲν ὀρχηστικόν, τὸ δὲ πρακτικόν. Ubi per chiasmum ὀρχηστικόν ad τετράμετρον referendum puto, πρακτικόν ad ἰαμβικόν. Verae enim πράξει respondet iambus ὡς λεκτικώτατον μέτρον. Trochaicum vero tetrametrum saltationi imprimis accommodatum esse probatur exemplo satis dilucido, quod exhibet

supra laudata Pacis parodus. Quare in primo quoque episodio, quod tam saepe propter actionis aestum tetrametris est insignitum, motus puto adhibitos esse cordacis haud ita dissimiles, etsi aliquanto modestiores. Fortasse argumenti vim obtinet Equitum versus 697[34]), ubi botularius indecoris se saltationibus Cleoni insultavisse aperte dicit. Qua in re id tantum molestias nobis potest exhibere, quod non saepius ab ipso poëta apertius significatur, ubi tales saltationes revera fiant. Quod enim in proscenio agitur, per ipsos histriones plerumque memoratur. Nihilo tamen minus tetrametrum trochaicum nativam indolem suam ad motus pronam etiam in episodio primo partim certe servasse mihi est verisimile.

[34]) Eqq. 697: *Ἀπεπυδάρισα μόθωνα, περιεκόκκυσα.* Cf. varias interpretationes, quas habet scholiasta. Cf. Iul. Poll. IV. 101. Videtur quidem botularius id tantum dicere, apud iudices talibus saltationibus se indulsisse. Sed si coram iudicibus tale aliquid ausus est, pro petulantia sua satis nota nimirum etiam in proscenio a dictis motibus non se abstinuit.

ADDENDUM.

Falso pag. 3. scripsi in Eccl. duas tantum lacunas inveniri chori nomine (*ΧΟΡΟΥ*) expletas. Sed sunt, ut video, tres. Ibidem dixi, cantari illam stropham, quae est in Vespis inde a vs. 868. Sed id dubium. De antistropha tantum (885 sqq.) res dicta constat.

SCRIPTORIS VITA.

Natus sum, Guil. Franc. Aem. Nesemann, anno 1836. d. 28. mens. Nov. in pago Magdeburgensi, cui est nomen Bahrendorf, patre Francisco, matre Dorothea e gente Wiemann, quos ambos iam pridem immatura morte mihi ereptos esse etiamnunc lugeo. Fidem confiteor evangelicam. Primis litterarum elementis domi imbutus anno 1850. temp. pasch. gymnasio cathedrali Magdeburgensi traditus sum. Huius spatiis decursis a. 1857. temp. auct., ut philologiae studia inchoarem, Halas Saxonum commigravi ibique per biennium Virorum Illustrissimorum Bergk, Bernhardy, Erdmann, Haym, Pott, Schaller lectiones frequentavi. Deinde anno 1859. temp. auct. in hanc almam Musarum sedem Berolinensem me contuli atque hucusque audiens Illustrissimos Viros Boeckh, Bopp, Droysen, Haupt, Muellenhoff, Trendelenburg et Werder in dictum litterarum genus incubui. Quibus omnibus viris valde de me meritis gratias ago quam maximas semperque, ut par, gratiam habebo.

THESES.

I. Errant, qui ap. Tac. in Germ. cap. 34. nominibus Druso Germanico virgula divulsis cognomen Germanici a Druso, Tiberii fratre, abiudicant.

II. Falsa est sententia Car. Kockii ap. Aristoph. in Eqq. prologum vs. 234. terminantis atque episodium primum a vs. 235. incipientis.

III. Ap. Aristoph. in Vespp. 1537. lectionem approbo Aldinam.

IV. Aiax Sophocleus, quem nunc habemus, nullo modo ex variis trilogiae alicuius membris compositus est.